




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
12 G
13

GENEROSISSIMO ADOLESCENTI MAXIMILIANO à Burgundia,

[redacted]



Vod tanto affectu nostras literas deside- raris, MAXIMILIANE charissime, vehementer quidem grata mihi fuit amoris erga me tui testificatio, nec hac in re grauate morem gessi tuę voluntati. Nam licet obrutus verius, quàm occupatus negotijs, tamen epistolam αὐτόγραφον, ad te miseram, quod facile coniectarem, eã ita tibi fore chariorem. Cęterum, quod interceptam ęgrius tuleris, quàm si quid earum rerum perisset, quę tibi maxime sunt in delitijs, magnam, vt ingenue dicam, ex tuo dolore voluptatem cepi, non dubijs argumentis perspiciens, te cum in Annę clarissimę foeminę, auię tuę, tum in ornatissimi patris Adolphi principis Veriani, non vulgarem affectum, quem à teneris unguiculis in me conceptum, constanter, ꝑpetuoq; retinuit, uelut hæreditario iure succedere. Verum vt dolorem istum, quem tibi nescio quorum inflixit perfidia, mea ciuilitate leniam, pro epist[redacted]to libellum, De recta pronuntiatione, quàm hodie maxima ex parte corruptam habemus in Græcis iuxta ac Latinis. Hoc argumentum tibi dicare uisum est, non tantum eò, quod ętati, studijsq; tuis videretur accommodum. uerum etiã quod magnam exemplorum partem ex Batauorum, Brabantorum & Gallorum populari sermone produximus, quas linguas omnes tibi non incognitas esse sciebam. Vt



autem materiam, quoniam de rebus minutis subtiliter disserit, per se minus amœnam, aliqua voluptatis illecebra lenocinioq; commendaremus, dialogo rem tractauimus, subinde non nihil aspergentes quod lectionis satietatem vel recreet, vel excludat. Porrò quanquam audio te Louanio in aulicam vitam auocari, nihil eo rumore deterritus sum à dedicationis instituto, sciens & in aula, pręsertim Cardinalitia, dari locum studijs. Nam pietatis affectum, quem unà cum literis, ex Ioanne Borsalo, Decano Veriensi, viro quum egregie docto, tum singulari morum integritate sanctitateq; prędito, iam pridem hausisti, non oportet nec in aulis, nec in castris deponere. Ita fiet, mi Maximiliane, vt & laudatissimum Cęsarem, quem nomine refers, ornamentis exprimas, et clarissimis maiorum tuorum imaginibus, plurimum de coris ac lucis apponas. postremo aulę Cęsarę, totiq; patrię, non vulgarem adferas vtilitatem. Si libellus hic placebit, pro tuo candore communicabis adolescenti diuina indole prędito MAXIMILIANO ab Iselstein, reliquisq; sodalibus tuis quibuscum tibi non tam generis, opum, aut dignitatis, quàm eruditionis ac probitatis longe pulcherrimum certamen susceptum est. Bene vale. Datum [redacted], anno à Christo nato. M D XXVIII.

DE RECTA LATINI GRAECIQVE SERMONIS PRONVNTIATIONE DIALOGVS. Personae VRSVS, & LEO.



RSVS. *Sit felix occursus, optime* Leo, *nam totos sex menses te non vidi.* LEO. *Istuc non temere precaris,* Vrse, *neque enim quibuslibet bene cessit occurrisse* Leoni. VRSVS. *Næ venuste,* Leo, *Imò ne* V*rso quidem.* LEO. *Istuc sanè malo tibi credere q̃ facere periculum, tametsi legimus* Leonem *inter bestias fortissimũ ad nullius occursum* expauescere. *Cęterũ diuinę litterę testãtur, esse formidabilem occursum* V*rsę, cui sint erepti catuli.* VRS. Q*uęso quid loquuntur de* V*rsa?* LEO. *Liber* Regnorũ *secundus sic habet,* V*iros fortissimos & amaro animo, veluti si* V*rsa raptis catulis in sylua sęuiat.* VRS. Q*uid pręterea?* LEO. *Solomon paroemiographus hũc in modum loquitur,* Expedit *magis occurrere ursę, raptis foetibus, quàm stulto confidenti.* Et *apud* O*see prophetam ita minitatur deus,* O*ccurram eis quasi vrsa raptis catulis.* VRSVS. *Sit igitur impauidus* Leo, *quum bestia bestijs occurrit.* Nam *si qua fides apologis,* Leo *bestia fassus est formidabilem hominis occursum.* Nunc *seculum est aureum, quo* Leonis V*rso,*

Vrsi Leoni lętus ac faustus sit occursus. Opportune uero catulorum facta mentione mihi redigis in memoriã, ego tibi magnopere gratulor. LEO. *quo tandem nomine?* VRS. Q *đ tibi catulus dominatus est.* LEO. *Hoc omẽ auertant superi, ut mihi catulus dominetur.* VRS. *Aio domi natum, audis accentum acutum in priore voce, in posteriore circũflexum.* LEO. *At istud magis etiã abominandum. An tibi uideor canis?* VRS. *Minime, Leonem esse te non potes inficiari.* Habent autem et Leones *catulos.* LEO. *Habent profecto, uerum habent & Vrsi.* VRS. *Vera pr̨dicas.* Nam *Vrsula mea parit mihi plures catulos et catulas quàm uelim.* LEO. *quot tandem?* VRS. *quot? Examen est, iampridem desij numerare.* LEO. *quur igitur mihi gratularis, quod in te ipsõ deploras?* VRS. *quia soles frequẽter optare ut tua* Lęna *pareret tibi leunculum.* Nunc *habes optata.* Nos *votorum compoti gratulamur.* LEO. *At hic leunculus me iam nunc solicitum habet.* VRS. *Quid est rei?* Num *puer habet male?* L. Nequaquam, *Sed meditor efficere, vt vere catulus hominis uideri possit.* V. Num *forma prodigiosa foetus est?* L. Nequaquam. Imò *si uideas dicas scitum infantem. At forma nõ facit hominem quàm habemus communem cum statuis. Animo sumus, uel homines, uel bestię.* V. *Vnde quęso isthęc incessit animo tuo cura?* L. *Quia Galenus me docuit, hominem à cęteris animantibus, quę vocamus* ἄλογα *discerni non ratione sed oratione.* V. Intelligo, *metuis ne tuus infans, semper sit infans.* L. Nequaquam. *Videtur enim satis linguax futurus, adeò nunc garrit, nimirum matrem referens.* V. *Quid igitur metuis?* L. *Quia uideo*

complures non humana voce loqui, sed latrare cum canibus, hinnire cum equis, ginnire cum suibus, mugire cum bubus, gānire cum vulpibus, stridere cum cicadis, blaterare cum camelis, barrire cum elephantis, frendere cum apris, fremere cum pardis, gemere cum ursis, rudere cum asinis, balare cum ouibus, strepere cum anseribus, garrire cum picis, cornicari cum cornicibus, crocitare cum coruis, crepitare cum ciconijs, sibilare cum anseribus, denique quoduis animal referre potius quā humano more loqui. V. Nę tu, per anserem, voces animantium probe tenes, nec prorsus abhorrent à uero quę prędicas. L. Ad hęc perspicio, quantopere recta pronuntiatio cōmendet orationem, adeò vt interdum duobus eadē lingua pronuntiantibus, alter veluti citharędus quispiam modulatissime canens, aures omnium habeat intentas, alter molesto latratu tędium moueat omnibus, nec alia videatur pronuntiatio, sed alia prorsus oratio, imò quiduis potius quàm oratio. V. Quod dicis sępenumero comperi experimento. Sed tu, mi Leo, pręproperē curam istam suscipis. Tuus enim infans nondum vagire desijt, & tu solicitus est quomodo loquatur? L. Ego nullam ętatem ad discēdum arbitror immaturam, pręsertim in his quibus discendis statim natura composuit, &, ut ita loquar, finxit hominem. Quorum de numero cum primis sermo est. Nec enim magno negotio canum foetus discūt adulari, aut leporem cursu petere. Mox vt natę sunt simiæ incipiunt gesticulari, protinus vt nati sunt aquilæ pulli, ad prędam gestiunt, & felium catuli muribus insidiantur, equorum filij statim ad cursum properant, vt aues ad volatum, non perinde successurare, si boui di-

tellas imponas, aut bubalum ducas ad certamen eque-
ſtre. Prouida natura primum earũ rerum docilitatem
inſerit, quę cuiq; animanti proprię ſunt, et ad vitam tuẽ-
dam neceſſarię. Dum enim repit puer, dum nihil huma
nę vocis ędit, quadrupedi videtur adſimilis, nec agnoſci
mus hominem. Verum vbi iam noſtra verba meditari
cœperit, tum demum vt ex nobis prognatum exoſcula-
mur. Et videmus in pueris recens natis, velut in pſitta-
cis, ſtudium quoddam natiuum, ac voluptatem etiam
ęmulandi, reddendiq; quod audierint tanta docilitate,
vt prius auribus agnoſcant conſueta voces, q̃ oculis di-
gnoſcant vultus? VRS. Iſtuc ego in meis catulis magna
cum voluptate frequẽter animaduerti, riſiq;. LEO. Prę
terea nihil videmus in omnem ætatem hęrere tenacius
quã quod rudibus illis annis, & cum lacte, quod dici
ſolet, metricum imbibimus. VRS. Sic profecto. LEO.
Proinde ſi cura fingimus tibias infantum adgreſſum, ſi
buccas, os faciem ac reliquum corpus uincturis quaſi for
mamus ad decorem, oculis etiam ſtudio proſpiciẽtes, ne
peti, ſtrabi'ue, aut alio quoniam vitio deformes euadant
quanto magis curandum eſt, vt lingua ſtudio noſtro for
metur, quum non aliud membrum ſit volubilius, & in
omnia ſequacius, tum ex hoc pendeat totius hominis de
cor ac felicitas in ſumma, vt homo ſit non belua. VRS.
Id ſatis declarauit noſter [redacted], qui nuper de
lingua hominis linguaciſſime ſcripſit. LEO. Proinde iã
nunc circunſpecto, ſi quem nanciſci queam bonum poe-
tam, cui mox catulum meum, dum adhuc vda eſt argil-
la, tradam in ſinum, vt fari diſcat. VRS. Quorſum tan
dem opus eſt poeta, niſi forte compotationem inſtituis,

ad quam si non adhibebis nisi bonos poetas, habebis admodum rarum conuiuium? LEO. *Equidem sequor monitorem* Oratium *apud quem legi,* Os *tenerum pueri, balbumq́; poeta figurat.* V. *Possunt quidem & istuc boni poetę, verum* Oratius, *opinor, non adeo contempsit poetas, vt eos infantulis erudiendis vellet occupari, quod literatoꝝ et grammatistarum est munus. Sed quoniam poetarum scripta primum omnium ętate rudi proponebantur, unde ceu per lusum & lectionem & pronuntiationem & electissima quęq; rerum vocabula discerent, sic à poeta dixit, os pueri figurari, quemadmodum* Demosthenes *diceretur me* Gr3ce *docere, si quis* Gręce *peritus mihi* Demosthenem *pręlegeret.* LEO. Hic *tecum non contendero.* Nam *parui refert.* Q*uanquam arbitror* Philippum *regem sapuisse, quum* Alexandrum *suum statim, vt natus est tanto philosopho traderet in gremium.* Bonum *igitur grammaticum mihi quęro.* V. Nec *isti minus rari sunt hodie, quã boni poetę.* LEO. Ridiculum, *quasi grammaticorum non plena sint omnia.* VRS. πολλοὶ βουκένται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες. LEO. I*mò tam vilis est vbiq; grammaticorum annona, vt tres minoris liceant, quàm vnus cantherio.* VRSVS. R*ursus audies illud græcorum triuijs.* πολλοί τοι ναρθηλοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι. *nisi forte tu grammaticum esse putas, qui salutatus latine, citra solœcismũ norit resalutare, nec in numero peccans, nec in casu, nec in genere vocis.* LEO. Hoc *nunc vulgo putant esse grammaticum.* VRS. *Atqui* Q*uintilianus præter illas notissimas præceptiones à grammatico exigit enarrationem poetarum, cognitionem historiaꝝ, peritiam*

antiquitatis scientiam vtriusq; linguę, copiam emendatę lectiq; sermonis. Super hęc omnia, non satis est illi grammatice dicere, nisi & latine dicat, quorum illud è pręceptionibus & analogijs petitur, hoc ex latine loquẽtium consuetudine. L. *Eadem opera exiget à grãmatico cognitionem omniũ disciplinarum, quandoquidem in poetis frequenter incidunt, quę ad musices, geometrices, arithmetices, astrologię, medicinę mysteria pertinent, ad de his si libet magicen.* Nam *absq; rerum naturalium & cosmographię scientia, quis est locus in poetis, quem recte possit exponere grãmaticus?* V. *Vt ciuiliter agas cum grãmatico, nec exigas exquisitam harũ rerũ sciam, certe rudem earum non oportet esse, quem dignum censeas cui pueritiam credas instituendam.* Nec *enim quoniam grammatici est enarrare Armauirumq;, protinus exigemus vt sit Pyrrhus, aut Annibal, aut quoniam enarranda* Maronis *Georgica, sit peritus agricola, aut quoniã exponenda Aeneę nauigatio, sit absolutus nauclerus, non magis quàm si tractet locum de re culinaria flagitamus vt sit Apitius. Attamen quid dicet grammaticus, qui prorsus nescit telorum machinarumq; formas & vsus, qui non intelligit figuras in ordinem digesti exercitus?* His *quidem rebus interfuisse, non parum contulerit, id si nõ contigit, ex libris authorum, ex eorum qui interfuerunt narratione, ex picturis, quantum grammatico satis est, discere licebit. Ad eandem rationem de cęteris sentiendum arbitror.* L. *Istud grammaticorum genus fortassis olim fuit, nunc obsoleuit.* V. *Prorsus, & ideo liberi nostri posteaquam apud istos penè consenuerunt, tales redeunt nobis domũ, vt vix ar-*

boris, aut piscis, aut herbę verum nomen possint ędere. Verum si seria nobis esset reip. cura, nihil vetat quo minus et hęc secula sint habitura Seruios, Donatos, Victorinos, Terentianos, Asperos, Cornutos, cælebriora nomina, quàm sint aliquot Cęsarum nunc grammatici cognomen penè sordidius est quàm pellionis aut aurigę. VRS. De reliquis nescio, certe Asperos & Cornutos non deesse scio. Et tamen ex huius disciplinę neglectu scatet orbi tam pudenda disciplinarum & optimorum authorum internecio, tamq́; foeda balbuties. LEO. Ad quos ista cura pertinet? VRS. Ad quos? nisi ad principes ac magistratus, aut certe ad pręsules? LEO. Quã aliam ab his curã exigis? Non'ne passim habent ludos literarios? Non'ne magnis pręrogatiuis & immunitatibus principes ornant academias, designatis etiam iustis salarijs? Lutetię quot sunt collegia pueris erudiendis dicata? Ista pręsulum est liberalitas. Fuisti ne unquam apud Anglos? VRS. Insulam omnem lustraui. LEO. Quàm illic vides regias collegiorum structuras nec desunt ampli census prouocandis, alendisq́; iuuenum ingenijs. Ista principum ac pręsulum est munificentia. Quid vltra flagitas? An expectas ut ipsi sedeant in ludo docturi pueros? VRS. Nequaquam, etiamsi summum illum pręsulem Gregorium non puduit ludimagistrum agere. Duo quędam ab illis requiro, delectum magistri, et premij pro merito docentis moderationem. LEO. Non satis assequor quid tibi uelis. VRS. Dicam crassiore Minerua. Ad huius aut illius cómendationem quéuis ludo pręficimus, ferè indoctum, interdum & moribus improbis, non huc spectantes, vt rei

charissimę, ciuium liberis omnibus consulamus, sed vt vnius famelici ventriculo prospiciamus, accuratius circunspiciētes cui committamus vnum equum, aut canem uenatorem, quā cui credamus totius ciuitatis pignora. LEO. *Haud multum aberras à scopo.* V. *Iam si quem nacti fuerimus dignum ea prouincia, nulla habetur hominis ratio, neq; pilo sit pluris quàm quiuis alius è plebe. Imò malunt bellum compotorem, quàm vigilantem pueritię formatorem.* LEO. *Quid hic tu facturus sis, sit tibi delegemus magistratum?* VR. *Vtinam delegetur.* LEO. *Creamus te Musis fauentibus studiorū dictatorem, cura ne quid resp. literaria capiat detrimenti.* V. *Primum ex omni ciuium numero deligam mihi virum ętatis non quidem decrepitę, sed tamen prouectę, vigilantem, industrium, bonęq; fidei, qui maximam ętatis partem in hoc literarum genere non infeliciter transegerit.* LEO. *quid si talem inter tuos non inuenias?* VR. *Accersam vel à Gadibus, vt aiunt, huic nō pręscribam certum salarij modum, verum ea formula paciscar cum eo, qua conuiuator ille, cuius meminit Aristoteles, cum citharœdo, sed fide meliore, quò diligentius fideliusq; docueris, hoc plus feres à nobis pręmij. Si fefelleris expectationem nostram, teipsum magis quàm nos fefelleris. Sin responderis, efficiam vt dicas tibi cum rep. nequaquam ingrata rem esse. Si porrò, quod optamus, etiam superaris, non patiemur, quod quidem in nobis erit, nostram benignitatem officij tuis superari. Ad hoc certamen accingere bonis auibus.* LEO. *quis istum deliget?* VRS. *Quis alius quàm ego dictator?* LEO. *Verū de arte negant rectè iudicare quenquam nisi artificem.* V.

Fateor. LEO. At quid faciet dictator ipse literarũ rudis, ut ferè sunt qui magistratum gerunt? VRS. Ex eruditorum suffragijs rem geram. LEO. Atqui hic rursus fallet delectus, si vel imperitus sit, vel praue doctus, uel malę fidei, is cuius iudicio niteris. VRS. Eum deligam quem fama potissimum commendarit. LEO. Famam mihi narras? At paucissimis, ò bone, tutum fuit famę credere. VRS. Colligam eruditorũ puncta. LEO. Eodem relabitur quæstio. Quid si pro eruditis deligas eruditionis ostentatores, quid si impostores, quid si sinistri iudicij homines? Nosti palliatos istos sine quibus nihil rerum geritur. Improbitas, fuci, prętigiæ, quæstus omnia vitians, faciunt vt delectus sit difficilimus. V. veris vnicor, optarim te vana loqui. LEO. Sed vt feliciter eligas, & in his quos selegeris sint aliquot vere docti, viri parti subscribes variantibus sententijs? VRS. Maiori. L. Sed nunquam ea fuit, aut est, aut erit felicitas rerum humanarum, vt quod optimum est, pluribus approbetur. V. Non mentiuntur omnia. Et vir qui sapit, quiq;, vt Plautus ait, acetum habet in pectore, ex multis coniecturis aliquanto certius diuinat, quàm quiuis augur, aut aruspex ex auibus prępetibus & oscinibus, aut solistimis tripudijs, aut extortum fibris. postremo in re tam seria, non grauabor comprecari diuos, vt suo fauore rem bene fortunent. LEO. Cassianum opinor. V. Imò CHRISTVM ipsum. Nec enim illorum curam posuit, opinor, quos semel complexum suo dignatus, iussit ad se perferri, beneq; precatus est illis, qui quod precatur, idē pręstare valet. LEO. Sed quas tandem coniecturas mihi narras augur et aruspex? V.

Exquiram num bonis prognatus, num liberaliter educatus, num proborum conuictu delectetur, num ipse probatis hominibus charus sit & amicus, num magis delectetur libris, quàm compotationibus aleá ue, obseruabo mores, gestum ac sermonem hominis, an neq; segni demissoq; sit ingenio, neq; rursus iracundo ac iactabundo. Deniq; contemplabor vultum frontem & oculos hominis. LEO. Iam ex augure fies physiognomus. V. Dispiciam quales euaserint, quos ille formandos susceperat. L. Hominis cordati sermonem audio. Nemo statuam faciendam locat artifici, nisi prius inspectis aliquot signis quę ex illius officina prodierint, & nos citra specimen omne liberos formandos temere cuiuis committimus, diligentiores in ęre marmoré ue credendo, quá in his quę nobis chariora sunt, quàm sumus ipsi nobis. VR. Recte dicis. Ex tot igitur rebus an dubitas hominem non omnino stultum, & usu rerum edoctum, posse certo diuinare? Certius, opinor, quàm ipse Calchas Homericus. Verum in te non magna videberis magnam operam sumere, sic literatorem deligens, quasi deligas pręsulem. V. Aliud sonant chordę tui pectoris, vir egregie, aliud linguę plectrum. An tu credis minus referre ciuitatis, ut sit probus pueritię formator, quàm vt sit probus Episcopus? Eadem est vtriusq; functio, nisi quod hic fingit ętatem teneram, ille iam adultam, atq; vt par sit ars, literatoris operosius est negotium, & ob hoc utilius, quod materiem fingit magis obsequentem digitis. LEO. Quid igitur superest, nisi vt grammaticum ijsdem ornes insignijs, quibus Episcopum, unctione, chirothecis, mitra, gemmis, pedo, pallio? VRS. N[redacted]ò vir

præclare, vtcunque rides. Quanquam quid refert? Habet ille pro pedo ferulam, & si magis placet regalis collatio, habet pro solio cathedram, pro fascibus et sceptro uirgam & ferulam. LEO. Adde pro satellitio pediculos. VRS. Leges figit ac refigit pro suo arbitratu, pœnas sumit ac remittit, et quod est regali potestate sublimius, perpetuam agit dictaturam. Nam illis dictare quotidianum est. LEO. Dictant nimirum usque ad rauim interdum, capitisque uertiginem. Sed extra iocum, planè fateor nihil esse regno similius, quàm agere ludi literarij magistrum. Nec aliud spectabat nero, si contigisset excuti regno, nisi vt alicubi ludo præfectus musicam doceret & literas. Nec moriturus aliud deplorabat, quã quod tantus artifex periret. Nec Dionysius sibi videbatur prorsus regno spoliatus, postea quàm Corinthi ludi præfecturam esset adeptus. VRS. Vtinam plerique non non sint tyranno similiores quàm regi. LEO. Habes igitur grammaticum ex animi tui sententia, libet enim hoc fingere. Quomodo tractas hominem? VRS. Non sinam esse inter sordidos, sed optimis & honoratissimis quibusque ciuibus eum tradam, ut intelligat se viuere in ciuitate, in qua virtuti recteque factis habeatur honos. Nec tamen ad aliud munus vocari patiar, quàm suscepit. Sola ætas ingrauescens impetrabit illi rudem, sic tamen vt fruatur sua virtute, & consilijs adsit, si minus queat opera. Currenti adhibebo antagonisten, qui citra contentionis amarulentiam uicissim & excitetur & excitet. LEO. Quid si gaudeat commutare locum, ut ferè est hoc hominum genus? VRS. Alligabo catenis aureis, LEO. Tui collegæ non patientur tanti

constare ludimagistrum. V. Vere tu videris oblitus, quod mihi paulò ante tradideris dicturam. L. Sic est profectò. Exciderat, sed reddo dicturum. V. Imò, si vis, iam pono magistratum, & collegis meis persuasurus sum, vt alibi potius quàm hic sint frugales. L. Quibus rationibus id efficies? V. Primum ostendam ex hoc fonte potissimum manare salutem aut perniciem ciuitatis. Commemorabo quantum ex ęrario depromatur in res penè nihili. L. Omitti poterat istud penè. V. Ad hęc, quot Canonicos alit vna nonnunquam ecclesia, quorum singuli quot annis capiunt aureos quadringentos? L. Et eo amplius apud nos. VRS. Non hæc eo dico quod illis inuideam. Dignos arbitror vberioribus præmijs, si suo fungantur officio. Sed illud mihi dicas, velim, vter plus adfert momenti ad commoda reip. vnus Canonicus, an vnus ludimagister? LEO. Ludimagister si modo probus sit, plus adfert vtilitatis, quàm tres Canonici quamlibet in templi stationibus assidui. VRS. Quur igitur alter clarus, alter sordidus habetur, alter cum dignitate capit census vberes, alter vix tantum vt famem effugiat? LE. Vis igitur, vt ludimagistro duplum & dignitatis & census decernamus? VRS. Minime. LEO. At promeretur plus quàm triplum. VRS. Dignitas ac pręmium paratum digno pariter atque indigno, inuitaret improbos ad prędam, quemadmodum nunc contemptus & mercedis exiguitas alienat probos. LEO. Quid ergo facies? V. Ego hęc nolim muneri coniuncta esse. sed meritis & officio tribui ac dispensari verius quàm dari. LEO. Per difficilis est prouincia, & ad otium procliues sumus omnes. VRS. Eoque crebris adhortationibus ac munusculis

ſculis excitarem hominis induſtriam, nec omnino cõmitterem eam prouinciam, niſi diligenter edocto, quàm arduum munus ſuſciperet. Quin & ſanctiſſimo iureiurando adigerem, quemadmodum olim magiſtratus trudebatur conſulibus, præirem formula, Deuoueo *me meosq́; omnes, ſi quid ſciens feſellero.* L. *Adiunge &* Iouem *lapidem.* V. *Quid ni? Et ſi quid hoc etiam firmius.* L. *Quid ſi incidiſſes in impoſtorem?* V. *Eum ſuis ornarem virtutibus, vt ne quis alius ſciale ſciens idem auderet in poſterum.* L. *At noui ciuitates non in poſtremis celebres, vbi conducti profeſſores inſigniter eruditi, non inueniunt qui vel grates audire dignentur.* V. *Ignauum hominũ genus mihi narras, quod nuper* [redacted]
cœpit exoriri. hos ego veluti fucos ab aluearibus abigerem. quanquam & huius rei bona pars in profeſſoribus ſita eſt. Non *enim munus eſt accendere ſtudium adoleſcentię, quàm alere.* Facile *multa diſcit, qui diſcendi eſt auidus.* Proinde *non parum promouit, qui docuit amare literas.* L. *Iſtiuſmodi doctorẽ optare proclinius eſt, quàm nanciſci.* V. *Veriſſima prędicas, atq; iſtud ipſum frequenter apud me demirari ſoleo. Multos incitat pietas, vt ex vltimis terræ finibus proficiſcantur* Hieroſolymam, *magno rerum diſpendio, nonnullo item vitę periculo, quidam nudis pedibus, nonnulli etiam lorica cilicio'ue cutem affricantes* Romam *aut* Compoſtellam *adeunt. Multis hic inceſſit affectus, vt relictis omnibus, quæ poſſident, dedant ſemet in arctiſſimum vitæ genus, puta* Cartuſianorum, Guilhelmitarum, *aut* Prigidenſium. Nec *defuerunt qui ſeſe in ſpeluncam abdiderint, nunquam inter homines prodituri, nec ſolem hunc*

communem aspecturi. Ex tot hominum milibus mirum est tot seculis neminem existere, qui gratis suoq; sumptu pueros formandos suscipiat. Si labor quæritur, hic laboris abunde est. Sin vtilitas, quibus obsecro modis queas vberiorem vtilitatem adferre rei Christianę? Sin pietas, quod tandem sacrificium deo gratius offerre possis? Si benefacta metimur charitate, quid confert proximo, si Compostellam, Romam, aut Hierosolymam curras. Eos labores arbitror deo gratissimos, qui cum plurimorũ vtilitate coniuncti sunt. Hi quum nusquam desint, quid attinet alios accersere, qui, si quid conducunt, vni conducunt, aut certe paucis, et his ad questum verius quàm ad pietatem. Reperiuntur qui suas opes largiter effundant, extruẽdis templis. Fateor pium esse sumptum. Verum ex tot millibus demiror adeò paucos exoriri, quos iuuet hic esse benignos. LEO. Satis feliciter ageretur cum rebus humanis, si vel pretio conduci queant. VRS. Quid causę? L. quid nisi plerisq; in rebus præpostera cęcamq; mortalium iudicia? VRS. An his non putas esse medendum? LEO. Medere mari, si potes, vt dulcescat. Sic sunt res & ingenia mortalium. VRS. Huc certe adnitendum, vt minus habeant mali, si vt bene, perfici non potest. LEO. Licet quidem optare. VRS. quid vetat, quo minus & efficere. LEO. Nihil facilius modo queas efficere sapiant homines. Nunc maxima pars mortalium amat falli, adeo vt si desit qui id faciat, ipsi imponant sibi. VRS. Nimium vera loqueris. LEO. Quin & illud obseruatum est mihi, vix unquam vsu venire, vt fidelis pueritiæ formator operæpretium ferat ex suis discipulis quum norim multos pueri-

tiæ corruptores, hoc est, qui non minus male studijs illorum prospexerint, quàm moribus, hoc quæstu magnifice locupletatos. Sanè id *fato quodam fit, siue ætatis illius inscitia, siue ingratitudine, vt iam non temere videatur græcorum prouerbio dici, Beneficium non esse conferendum, nec in puerum, nec in senem, in hunc quia perit antequam gratiæ referendæ detur oportunitas, in illum quia non meminit. addendum autem erat quia non intelligit, & si intelligit, odit hoc beneficij genus.*
VRS. *Aetas adferre solet iudicium.* LEO. *Fateor, in nonnullis, in plerisque malitiam adfert.* VRSVS. Sic *est, sed tamen nonnullis in tractanda ætate tenera deest dexteritas.* Non *enim satis est præceptorem esse doctum ac probum virum, comitas quędam & commoditas adsit oportet, qua & ferat ætatis. quàm tractat, inscitiam, & semet ad illius naturam accommodet, nutricum videlicet exemplo.* Q*uemadmodum medico non satis est nosse, quod pharmaci genus sit præscribendum, nisi sit artifex administrandi.* Nam *& fallendus interdum est ægrotus, vt beneficium imprudens accipiat.* LEO. *Vnde tanta rerum humanarum infelicitas? Pueri nec sentiunt beneficium, nec meminerunt, Iuuenes non ferunt habenas, senes non referunt gratiam. Et aiunt, quod mulieri benefeceris, ferè perire.* VRSVS. *Vnde? nisi vt* Christ*ianæ charitati nusquam deesset exercende benignitatis materia. quę si desit, nihil effecerit humana prouidentia.* Q*uin potius sępenumero fit, vt quę sunt summa cura summaque ratione constituta, vergant in partem deterrimam. quod enim ad scholas attinet, nihil olim videtur prętermissum*

quod hominis consilio prospici quiret. Institutæ sunt scholæ, quas ob omnium disciplinarum publicam professionem vulgus appellat Vniuersitates. In has et Romani Pontifices, & principes contulerunt quicquid potuerunt vel dignitatis, vel munificentiæ, extructa collegia digestæ disciplinæ, designati professores, addita salaria, distincti incipientium, proficientium, consumatorum gradus, honores, & emolumenta. Prospectum est & tenuibus, qui illic pleriq; ditescunt. Habent rectorem, sceptrigeros, cancellarios, conseruatores, decanos, aliosq; magistratus. Quid quæris? Regnum quoddam esse dicas literarium. Iam de minoribus scholis non segnius est habita cura. Harum cura maiorum prouidentia bifariam partita est. vt præcipua sit penes sacerdotum collegium, altera penes magistratum, additus est peculiaris huius negotij præfectus, quem Scholasterem vocant, scholarchus dici poterat sub hoc ludimagistri. Et tamen tam solicita prouidentia non potuit efficere, quo minus in omnibus ferè scholis seculis aliquot regnarit opposa barbaries. Proinde Ioannis Coletus, vir æterna dignus memoria, quum templo diui Pauli scholam puerilem addidisset, nulla cura magis torquebatur, quã in quos eius rei præfecturam delegaret. Episcopi iudicant hanc rem indignam sua solicitudine. Scolasteres censibus recipiendis se potius quàm scholæ curandæ datos arbitrantur, et pulchre sibi videtur suo functi officio, si ludimagistros non deciment. In collegijs Canonicorũ ferè semper deterior pars superat. Magistratus vel iudicio carent, vel indulgent priuatis affectibus. LEO. Quid tandem consilij reperit? VRS. Hominem coniugatum, & liberis di-

uitem scholæ præfecit. Prouisionem delegauit aliquot è quibus laicis, quorum probitatem habere sibi videbatur exploratam, vt ab his in hæredes proximos deriuaretur. L. *Num ea prouidentia securum reddidit?* VR. *Minime. Sed hic aiebat sibi videri minimum esse periculi, vt tum habebant res humanæ. Vnde nunquàm illorum iudicio potui subscribere, qui vitijs hominum offensi, protinus tollendum censent quod institutum est, veluti monasteria quidam censent abolenda, quod in quibusdam collapsa sit vera religio, præsulum & Canonicorum ordinem postulant abrogari, quod nonnulli secus quàm decet viuant. Idem decernunt de ludis & pędagogijs, quia displicet quorundam institutio, quasi statim quod in horum locum fuerit substitutum, aut cariturum sit omni crimine, aut inuitum non facile possis degenerare. quanto satius est id, quod recte fuit institutum, sarcire, ad quędam interim conniuentes, id quod eò facilius erit, si reputemus rerum humanarum conditionem. In quibus vt sint prosperrimæ, nihil est ab omni parte beatum, semper erit quod desideres, quod sarcias, quod instaures.* LEO. *Est igitur aliquid perspicere fontes vnde scatet malum, deinde qua ratione liceat mederi.* VRSVS. *Ne recedamus ab instituto, huius mali præcipua pars mihi videtur oriri ex publicis scholis, quas* [redacted] *vt dixi, nunc appellant Vniuersitates, quasi nihil absit bonæ disciplinæ, tum ex monasterijs, præsertim ijs, in quibus instituuntur ad doctrinam Euangelicam, quod genus sunt Dominicanorum & Franciscanorum & Augustinensium. In his enim adolescentes vix trimestri studio grammaticæ dato, pro*

tinus rapiũtur ad sophisticen, dialecticen, suppositiones, ampliationes, restrictiones, expositiones, resolutiones, ad gryphos & quęstionum labyrinthos, hinc recta in adyta Theologię. Tales, vbi ventum est ad eos authores, qui vtriusq; linguę facundia pręcelluerunt, deum immortalem, vt cęcutiunt, vt delirant, vt sibi videntur in alio prorsus esse mundo. Quoniam autem semel sumpto leonis exuuio pudet inscitiam fateri, simul autem & piget neglecta discere, bellum indicunt rectioribus studijs, & horum professores odio plusquam Vatiniano persequuntur. LEO. Istiusmodi multos nimium cognitos habeo. VRS. Parentibus imperitis instillant in aurem, ne sinant liberos suos friuoli studijs ętatem perdere, persuadentes in his & bonis moribus, & Christianę fidei subesse naufragia. LEO. Nihil fingis. VRS. Iam in collegijs, siue pędagogijs quibusdam magna in hac re cessatio est. LEO. qui sic? VRSVS. Si non reciperent nisi iam grammaticę rei peritos, nec aliud profiterentur quàm philosophię disciplinas, & eruditiores nobis darent, & ipsi minus haberent negotij. LEO. Verum, sed & compendij minus. VRS. Rem acu tetigisti. Nunc quo quęstus sit vberior, quamlibet elementarios ac propemodum ἀναλφαβήτους recipiunt. Tolerari poterat hoc, si digestis ordinibus & classibus, in singulas artifices idoneos pręficerent, tum huic disciplinę, cui veluti fundamento nituntur omnes, iustam curam, iustumq; tempus darent. Nũc sophisticis argutatiõibus plus ęquo datur, & hęc disciplina, qua non alia magis est necessaria, velut, obiter et in transcursu gustatur verius quã discitur. Moxq;

pueri rapiũtur ad titulos honoratiores, unde magiſtris pluſculum accedit lucri. LEO. *Ita nimirum fit, vt qui plus æquo properant in initio, ſerius perueniant quò volunt.* VRS. *Nec huic profeſſioni ſuus habetur honos, quemadmodum cęteris. Alijs enim honoris cauſa titulus additur à baculo, alys à licentia, alij ſalutantur magiſtri artium, doctores medicinę, doctores iuris Cęſarei, doctores iuris* Pontificij, *doctores vtriusq́; traduntur inſignia, pręrogatiuę, dignitas. At grãmaticus nihil aliud eſt quàm grammaticus, quemadmodum calcearius nihil aliud eſt quàm calcearius.* L. *Quos tu credis à baculo cognomen habere, equidem accepi à bacca lauri dictos.* VRS. *Si res hęc tibi curę eſt, dicam quod ex quodam hierophanta ſeu myſtagogo talium rerum pidici.* LEO. *Percupio.* VRS. *Is attulit triplicem huius cognominis etymologiam, mea ſententia non abſurdam. A baculo, inquiebat, dicuntur bacularij, vel quod adhuc in piſtrino laborantes, baculis impellantur iumentorum ritu, vel quod nondum in diſciplinis abſoluti, opus habeant rectore baculo.* L E O. *Probabile narras.* V R S. *Scis autem lauri baccas eſſe nigras & amaras: Porrò quoniam id temporis etiamnum arrodentes amarum ſapientię corticem, nondum ad nucleum dulciſſimum penetrarunt, baccalaureos appellari placuit.* LEO. *Iſtuc etiam probabilius.* V R S. *verum myſtagogus ille tertię ſententię palmam tribuebat.* L E O. *Quàm tertiam adferebat?* V R S. *Arbitrabatur dictionem compoſitam à vacca & laro, vaccalarius.* L E O. *Bella mixtura vaccę cum aui.* VRSVS. *Imò probabis ſi cognoris rem omnem. Sed ali*

quot nationes pro b, sonare u, consonantem, & contra. LEO. Noui. VRS. Et vacca lac porrigit. LEO. Aiunt. VRS. Et larus auis est auidissima. LEO. Isthuc me docuerunt ERASMI prouerbia. VRS. Iam de amabili illo sapientiæ principe dictum est, Mel & lac sub lingua eius, unde quos vehemens quidam ardor huius lactis agit rapitq; vaccularij dicuntur. LE. quin igitur capralarij dicuntur potius, quum lac caprinum à medicis præferatur bubulo. VRS. Quia plus lactis reddit vna vacca, quàm capræ tres, præsertim apud Phrysios. LEO. Pulchre quidem hoc expedisti. Sed unde licentiæ vocabulum? VRS. Et hoc me docuit ille mystagogus. Qua quidem in re vulgus errat periculose, credens illis iam licere quodlibet, velut ab omni honesta functione dimissis, eoq; nonnulli tum se dedunt otio, quum maxime sint suscipiendi labores. LEO. Idem error & me, fateor, hactenus habuit. V. Atqui secus habet. Hæc licentia non ducitur à licet verbo impersonali, sed à licere, quod est ex eorum numero, quæ græci vocant αὐτοπαθητικὰ quod genus est vapulo, unde deductum licitari. LEO. Quis hoc diuinasset? VRS. Tum enim plurimi fiunt, & velut à licitantibus accersuntur, alius ad aulam, alius ad curam pastoralem, alius ad Abbatiam, alius ad opimam præbendam, in summa, alius alio. Longum est enim omnia commemorare præmia. LEO. Scite tu quidem hactenus. Sed unde magistri nostri? VRS. Honoris causa græce dicuntur Theologi, Hebraice Rabini, quod Latine sonat magistri nostri. LEO. Intelligo. Talibus igitur cognomentis honorandum censes & grammati-

cum? V. quid ni? tales quales fuerunt Donatus & Seruius dicantur doctores grāmatices, quū procliuius sit vel in triplici iure doctoris nomen, quàm semel boni grammatici titulum promeruisse? L. Da Seruios, dabimus honores. V. Imò tu da honores, ego dabo Seruios. Honos enim non solum alit, verum etiam gignit artes. Adderem dictator & locum honoratum in consessu, & insignia reliquaq; debita viris præclaris ornamenta. LEO. An tibi parum est, si literatores insigniti literis incedant vt Samij, quemadmodum aiunt? VRS. Adderem & scholis ipsis munditiem ac dignitatem, quum nūc vix sit hara porcorum sordidior. LEO. Pueris ne tantum honoris? V. At hi pueri templa sunt spiritus sancti, in his plantarijs lacent senatores, magistratus, & doctores, Abbates, Episcopi, summi Pontifices, & Cæsares. Quò infirmior est ætas, hoc plus addendum est honoris iuxta Pauli doctrinam. Postremò hi paruuli sunt, quorū vnius cuiuslibet offensionem Christus voluit atrocissimo supplicio puniri, & asinis male docentibus molam asinariam alligari, itaq; demergi, nō in arenam ripæ proximam, unde possent enatare, sed in profundum pelagus. Nunc quod est iniuriarum genus, cui non patimur imbecillem ætatem obnoxiam esse? Nullus ferè tam abiectus, tam ineptus, tam insulsus, tam excors, tam indoctus, est quin videatur idoneus formandæ pueritiæ, cuius leuior esset calamitas, si tantum aleret eiusmodi beluas, nisi paterentur & tyrannos. Nulli sunt enim plagosiores, quàm qui nihil habent liberalis disciplinæ. L. Sic & monarchæ si ratione careant, qua rempublicam administrent, ad vim ac tyrannidem con-

fugiunt. Operosa res est imperare liberis, & compendiosa philosophia est dicere, sic volo. V. Iam illud in pædagogijs penè solenne est, vt aut tenues, quibus non est vnde viuant, aut puerum aliquem nudiustertius magistelli nomine donatum, pueris grammaticen docendis præficiant, tantum in hoc vt viuat. LEO. An nó pium existimas destitutis opitulari? VRS. At ista quidem humanitas in unum famelicum, in tot pueros magna est inhumanitas. Impia est eleemosyna quæ de rapina confertur, et ingratum sacrificium quod ex prædatione datur. Malefica est beneficentia, quæ cum multorum iniuria coniuncta est: Vt est interdum principum crudelis clementia, quum vni cuipiam condonant facinus plurimorum malo. Sunt innumeræ vitæ, quibus famelicis consuli possit. LEO. Nascuntur interdum humillimo loco generosa ingenia, quæ rei familiaris angustia submouet à liberalibus disciplinis. An non humanitatis est hęc euehere? VRSVS. Maxime, sed cum delectu & citra cuiusquam iniuriam. Nunc ferè adsciscuntur ad hoc munus non alia commendatione, nisi quia cognatus est, aut conterraneus, aut compotor, aut alioqui notus, aut deniq; quod est pietati proximum, quia miserabilis. At interim non miseret tot puerorum. LEO. Pleriq; turpe putant, quenquam semper in grammatices professione manere. VRSVS. Qui nam id turpius, quàm pictorem nihil aliud profiteri quàm pictorem? Quanquam fieri non potest, vt grammaticus nihil sit quàm grammaticus, etiamsi in cęteris disciplinis non perinde excellat. Nam vt unus in omnibus emineat, nec à superis datum est, nec expedit vitę mortalium, vtcunq;

græci iactant suum Hippiam. *Tum enim cum rebus humanis felicime agitur, quum distributis varie dotibus, amicitia, iuxta prouerbium, facit omnia communia*. Quid *enim stultius quàm dicere manui, nihil aliud es quàm manus, aut ventri, nihil aliud es quam venter, aut tibię, nihil aliud es quàm tibia, aut naso, nihil aliud es quàm nasus?* Et *pulchrum est probri causa dicere grammatico, nihil aliud es quàm grãmaticus?* Est *aliquid & ventre contemptius, per quod eijciuntur crassiora corporis excrementa*. Contemnat *hoc qui volet, & videat quàm floream cętera membra*. LEO. *Ista sunt euidentiora, quàm vt possim refellere. Sed vt ad profitendi rationem sese noster recipiat sermo*, Non *probas scholas publicas?* VRSVS. *Imò cum* Fa*bio probo maxime, modo vitentur ea quę vir ille non minus integer quàm eruditus vitanda commonstrat.* Nec *enim isto, probo, qui obscuri ipsi, in obscurum angulum contrahunt pueros, ac docent impune quodlibet.* LEO. *Laudantur in hoc genere quidã, qui non ita pridem exorti, medium genus inter monachos et laicos, domi suę docendis pueris quęstum uberem facere dicuntur, quanquam hoc aucupium & à monachis quibusdam affectari cœpit.* VRS. *Sua cuiq; sententia est mihi displicent in hisce rebus latebrę, lucem amo.* Tum *id genus doctores ferè sunt* αὐτοδίδακτοι, *nonnunquam indocte docti, nec sui iuris, & illiberaliter educati, ad hęc alieniores à moribus sensuq; cõmunis.* Q*uibus rebus fit vt apud hos natiuus ille vigor et alaritas ingeniorũ frãgatur, ac deijciatur ~~ad habitum quẽdã pharisaicum~~, qui liberalem & ingenuã indolem corrũpit, seruile quiddã*

& illiberale inserens teneris animis. Quin et illud non raro videmus, eos qui ex talibus nidis emergunt, euadere cęteris insolentiores, minus synceros, magis fucatos, minusq; liberales. LEO. Quid vtilius quàm vt prima statim ætas formetur ad pietatis disciplinam? VRS. Rectè, si pietas in rasuris, cingulis, pallijs, piscibus & fabis, morumq; tristitia sita est. At vera pietate nihil est hilarius. Iã vt hodie talis sit monachismus, qualis olim fuit, non omnes huc aluntur, nec expedit imbecillem vel utiq; lactentem adhuc indolem immodica tristitia corrumpere, quæ gignit seruile quiddam, & natiuam ingenuitatem vitiat. Paulus non temere monet parentes, ne liberos suos amarulentia contristent. At istorum morosis moribus scio quædam ingenia felicissime nata, fuisse perdita. Nam his potissimum imminent deijciendis, quum in equis, ita in pueris sæpe felicissima sint ingenia, quæ grauatim ferunt imperia. Itaq; refingunt in asinos, quoniam equis imperare nequeunt. Adde his et grauius malum. Si quem puerum viderint indole candida, aut etiam re lauta, hunc studiosius frangunt ac deijciunt, veluti generosum pullum ad suæ vitæ institutum prædomantes, nec patiuntur abire, sed blanditijs, minis, terriculamentis, obtestationibus, horrẽdis narrationibus instant, vrgent, obtundunt, donec vel ad se pertrahant, vel, si id nequeant, in alium protrudant gregem. Quid autem facilius, quàm simplicem ætatem ac rerum imperitam vel fallere, vel terrere? LEO. An istud faciunt? VR. Non refero somnium, meum ipsius periculum narro. LEO. Quod obsecro? Num quando in discrimen venisti, ne fieres vir bonus? VRS. Educabar apud hos

Deuenturij, nondum egressus annum decimumquintum. Eius sodalitij præfectus omnia moliri cœpit, vt me ipsorum instituto addicerem. Et eram alioqui puer ad pietatem propensus. Ibi pro mea puerili sapientia excusabam ætatem, sed præcipue voluntatem parentum, quorum iram serio metuebam, si quid illis inscijs tentassem. Hic ille vir egregius, vbi se videt nihil eloquentia proficere, admouet exorcismum. LEO. Quid fiet obsecro? VRS. Admouet imaginem crucifixi, ac mihi iam flenti vultu entheo. Agnoscis ne, inquit, hunc, pro te passum? agnosco, inquam. Per hunc, inquit, te obtestor, ne committas vt frustra pro te sit mortuus, sed obtemperans meis consilijs, consulas animę tuę, nisi velis in æternum perire cum mundo. LEO. Non deiecit puerum tanto ariete? VRS. Planè deiecisset, ni me parentum terror alio retraxisset. LEO. Ista quidem vis est. VRS. Quod mihi accidit refero, alij narrent quid ipsis accide rit. Nec dubito quin innumeri sint qui similia pericula de se narrare queant. Accedit ad hæc quod huiusmodi ferè nihil habent commercij cum ethnicis authoribus. Cęterum quanquam non censeo Martialem, Catullum, Tibullum, aut si qui sunt horum similes, prælegendos ętati lubricæ, tamen ad antiquitatis & venustę dictionis cognitionem expedit prędeptorem in omni veterum genere diligenter fuisse versatum. Sacratior quidem est liber Psalmorum quàm Odarum Oratij, sed ex his quàm ex illis rectius discitur sermo latinus. LEO. Verum hoc hominum genus unde velles parare victum? VRS. Si nihil aliud, unde regius ille Paulus sibi parabat. consuebat coria. Quanquam aliud est vnum alere, aliud

ditare multos. LEO. Prohibet sacerdotij dignitas. VRSVS. Sacerdotes sunt qui populo Christi ministrant Euangelium. Quid si omnes fiant sacerdotes, num omnes viuent in otio? LEO. At sunt viri boni. VRS. At non meliores Paulo. Verum agnoscamus dignitatem, num otium adfert dignitatem? Scurrarum igitur & ludionum mira dignitas est: Otium laudem habet in Episcopis & clericis, quanquam id nihil minus est quam otium, quum assidue vacent ediscendis edisserendisq; scripturis, cognoscendis causis, componendis litibus, increpandis improbis, consolandis afflictis. Nullum est honestum otium, tantum in negotij genere discrimen est. An tibi iusta uidetur ab operis manuarijs excusatio, quod hypodiaconus sis aut diaconus, quum nullam operam praestes ecclesiae, nec huc te pares vt praestare queas? Olim certe proprium erat monachorum operari manibus. Quod si causantur sordidum opificum, si non sordidarũt Paulum coria, non est quod illi metuant sordidum opificum. LEO. Quod narras idem frequenter audiui a viris insigniter cordatis. Sed isti vacant precationibus. VRS. Vacent, labor non multum officit precationi. LEO. Illos certe probas qui constitutis sodalitijs alunt in studia tenues, quibus alioqui cum remo, stiua & rastro res erat futura. VRS. His rebus quidam fortasse magis congruebant. Verum agedum, piae mentis arbitror subleuandis pauperibus indulgere. Ad literas accersi nolim, nisi vigilanti cum delectu. LEO. Quur ita? VRS. Fateor ex subulco nonnunquam nasci regno dignum ingenium, sed vt paria sint ingenia, plurimum habet momenti liberalis educatio. Nec parui re-

fert inter quos verseris à puero. Ad liberales autem disciplinas prisci non admittebant, nisi bonis prognatos. Hic periculum est, ne venter illectet ad studia literarum, quos natura genuit alijs rebus. Iam si quorum indoles meretur ad hoc honoris vocari, simul accedere debet liberalis educatio, sic vt frugalitas adsit, non absit mundities. Nec oportet benignitatem esse sordidam, *alioqui hoc non est alere, sed torquere. Sed de suis quisque liberis statuet quod videbitur. Tuum qua ratione vis institui?* LEO. *Primum discet expedite sonare, deinde prompte legere, mox eleganter pingere.* Deinde deligetur morum & ingenij formator, diligenter sodales proba indole. Alibi parcus ero, non hic. Vtriusque linguæ peritiam exacte perdiscet teneris statim annis. Dialecticæs non patiar esse rudem, nolim tamen ludicris illis argutijs ad ostentationem repertis torqueri. Rhetoricas aliquanto quidem diligentius, sed tamen citra superstitionem exercebitur, scribendi dicendique potius vsu, quàm anxia præceptorum obseruatione. Sed prius Geographiam perdiscet accurate, Arithmeticen, Musicam & Astrologiam degustasse sat erit. Medicinæ tantum addetur, quãtum tuendæ valetudini sat erit. Nonnullus et Physices præbebitur gustus, non tantum eius quę de principijs, de prima materia, de infinito ambitiose disputat, sed quę rerum naturas demonstrat. Quę res agitur in libris de anima, de meteoris, de animalibus, de plantis. VRSVS. Nihil ne de moribus? LEO. Hoc aphorismis instilallabitur, præsertim ad pietatem Christianam et officia vitę communis pertinentibus. V. Tot disciplinis oneras etatem

teneram? L. Faxo vt hęc omnia ludens discat priusq́
attingat annum decimumoctauum. V. Fortasse per ar
tem notoriam. LEO. Nequaquam. V. qui potest alio,
qui? L. Nihil est necesse, quemadmodum vere dictum
est, vt puer omnes disciplinas exacte discat. Quasdam
gustasse sat est. Id magno fructu paruoq́; negotio fiet,
si ex singulis pręcipua quędam redigantur in compen,
dium. Neq; quicquam facilius discitur, quàm quod opti,
mum est. VRS. Pulchre narras. Sed unde compendio
rum artifex? LEO. Iam hoc ago, nec ab vno petam
omnia, sed in quo quisq; pręcellit, in eo deposcam illius
operam. Ita meus catulus non ludet operam & impen,
sam in friuolis, aut dediscendis, in quibus hodie, deũ im
mortalem, quanta pars ętatis perit? Vbi iactis huius,
modi fundamentis peruenerit ad annum decimumsepti,
mum aut octauum, ipse sibi deliget studiorum ac vitæ
genus, ad quod se senserit natura magis compositum.
Vix enim feliciter cedit, ad quod quis reluctante genio
protruditur. V. Vtinam istam rationem amplectantur
publicæ scholæ. Nihil esset iuuentute felicius. LEO. Ar
bitror tibi frequenter ex maioribus auditum, fuisse tem
pus quo pueri multis annis discruciabantur modis signi
ficandi, & quæstiunculis ex qua vi, & alijs indoctissi,
mis nęnijs, magnaq́; ambitione dictabatur, ediscebatur,
exponebatur Ebrardus et Florista, quod supererat tem
poris, ridiculis versiculis transigebatur, Ioannis Gar,
landini græcolatina disticha prælegebantur à sudanti,
bus, Catholicon in omnibus templis habebatur. VRS.
Infelix profecto seculum. L. An tu credidisses unquam
fore, vt apud Britannos aut Batauos pueri Græce gar,

rirent,

tirent, Græcis epigrammatis non infeliciter luderent? VRS. Citius credidißem ruiturũ cœlum. LEO. Tanta rerum mutatio mihi spem facit fore, vt vnaquæq; professio, repurgatis his quę magis faciunt ad quęstum & ostẽtationem quàm ad eruditionem, tantum ea compendio doceat, quę digna sunt cognitu. VRS. Istuc equidem vehementer opto, nam nunc video quosdam adeò propensos in has politiores literas, vt fastidiant liberales disciplinas, quasi summa studiorum sit, emendate loqui. LEO. Vera narras. Verum hęc est rerum humanarum conditio, quum ad summum peruenerint, non corrigun tur, nisi in diuersum detorqueas, ac propemodum vitio vitium emendes. Cęterum arbitror hanc prauitatem aliquando in suum statum redituram. VRS. Nihil existimo desperandum, posteaquam scenam rerum vsq; adeò mutatam video. Tantum vereor, ne nobis quidem sero contingant ista. Verum hic sermo nobis propemodum extra causam feritur, optime Leo. LEO. Qui sic? VRS. Quoniam nobis hæc, vt dicebam, præpropera cura est. Nos enim de publico iuuentutis formatore loquimur, tuus infantulus adhuc inter matris ac nutricum sinus repit. LEO. Verum, sed ab his initijs prima facundię rudimenta Rhetores auspicantur. Nam Quintilianus vt Gracchorum admirandam eloquẽtiam nonnulla ex parte acceptam refert Corneliæ foeminę supra sexum modum eloquenti, ita Lælij & Q. Hortensij filiam scribit in dicendo paternam elegantiam retulisse. VRS. Hæc illis temporibus recte præcipiebantur, quum latine Grę ceq; loquerentur etiam infimæ plebis opifices, ęque atq; docti, nec sermonis genere differebant, sed sermones ele

gantia. Nunc à parentibus ac nutricibus quid discere possunt infantes, nisi vulgatam suæ gentis linguam puta Gallicam, Hispanicam, Germanicam, Britannicam, aut Sarmaticam? LEO. Recte mones, Vtinam vniuersum mortalium genus duabus duntaxat linguis vteretur. VRS. quibus? LEO. Græca & Latina. VRS. Quid de lingua Hebraica? LEO. Eam, quoniam nec admodū late patet, &, vt apparet, nec ab ipsis Hebręis satis tenetur, Iudęis ac Theologis relinquerem. Simulq; vereor ne quid Iudaismi cum literis imbibat puer. V. Eadem opera verere, ne quid paganismi combibat ex Homero, Demosthene, Vergilio & Cicerone. LEO. & hoc pro viribus curabitur. Verum unde quęso, nobis tot linguarum myriades? VRS. Non nouum hoc malum est, ò præclare. Nam olim à diluuio, quod Noè temporibus accidit, prisci mortales, ne simili calamitate dissiparentur, coctilibus lateribus & bitumine vice calcis adhibito ciuitatem extruere adorti sunt, & in huius medio turrim immensę molis, quæ pertingeret vsq; ad cœlum. LEO. Vnde tanta bituminis vis? VRS. Non coquebatur ex animantium pellibus cornibus'ue, ne quid erres, sed in ea regione lacus immensi scatent bitumine. Iam structura penetrarat nubes erat autem hominum immensa vis neq; quisquam omnium vacabat operis portione. Illic prorsus euenit quod habet græcorum prouerbium ἅμας ἀπῄτουν, οἱ δ' ἀπηρνοῦντο σκάφας. LEO. Qui nam? VRS. Aliquis è longinquo petebat obsonium, alter adferebat lateres. Rursus alius inclamabat sitiens, adferre potum, alter deferebat bitumen priusquam ille recurreret, hic fame siti'ue perierat;

Rursus alius postulabat ignē, deferebatur aqua. Hic petebat trullam, ille ferebat cucurbitam. Tandem fatigati tędio structuram omiserunt, dumq; se sibi mutuo ludibrio esse crederent, alij aliò demigrarunt, vt quosq; iungebat lingua communis. L E O. Isti narrationi concinit Oedipodis, opinor, ęnigma, de animante, quod primum quadrupes est deinde bipes, tandē tripes, quodq; vocibus omnium animantium sonet, perq; omnia volitet. VRS. Eandem ob causam Homerus homines μέροπας appellat, ob vocis varietatem. L E O. De linguarum igitur, vt video, diuersitate nulla spes est. VRS. Ne expedit quidem vulgo committere, quod syncerum ac perpetuum esse velis. Olim bona pars Europę & Africę, cum Asia minore latine gręceq; loquebatur. Quot barbaricas linguas nobis vulgus ex vna latina reddidit? Quot discriminibus fictus est Italię sermo? quot Gallię, quot Hispanię? Pręstat igitur has linguas, quibus maximo ex parte commiscę sunt disciplinę, tantum ab eruditis seruari, quarum integritas non à populo, pessimo rerum bonarum custode, sed è libris eloquētum scriptorum petatur. Verum illud explica, quur ea quoq; solicitudo tenet animum tuum, vt leunculus tuus prompte legat, nec inscite scribat? L E O. Quoniam id video Fabio quoq; cum primis fuisse curę, & simul utrunque disci potest. Nā vtraq; res alteri auxilio ē. Scripturam enim ineptam eadem sequuntur incommoda, quę malam pronuntiationem. Vel Ciceronis orationem scribe literis Gotticis, solœcam dices ac barbaram. Fit igitur ut aut gratiam amittat quod scriptum est aut omnino reijciatur, aut lectorem defatiget tędio. Conse-

guitur autem, vt nec doceas non intelligentem, nec delectes ęgre legentem, nec persuadeas enecto molestia. Et scis quàm sint morosa quorundam ingenia, præsertim si scribas occupatis, aut de re per se parum amœna lectori. Quis enim diu possit auscultare balbutientem, cuius sermonem ægre præcipias? Contra vix credi queat, quantopere commendet rem, elegans, dilucida, distinctaq́; scriptura, latinis elementis latina verba repræsentantibus. Olim in scholis pleraq; dictabuntur excipienda discipulis, ita fiebat vt celeriter scriberent pueri sed incommode, notulis & abbreuiaturis compendium aucupantes. Nunc typographorum ars facit, vt eruditi quidam ne scribant quidem omnino. Nam si quid suarum lucubrationum literis mandare visum est, tam belle pingunt, vt ipsi nonnunquam non possint legere quod scriptum est, et ab amanuensi flagitent vt legat, agnoscatq́;, quod ipsi non agnoscunt. quin & in epistolis principũ exemplo, complures vtuntur amanuensium opera. Sed quid illi facient in epistolis arcanis, quales frequenter incidunt etiam regibus? vt omittam quod interdum ad auctoritatem, interdum ad gratiam facit agnita manus. Nõ nihil habebat momenti, quod Paulus apostolus Galatis epistolam totam αὐτόγραφον misit. quis non reuereatur si rex ex sua manu descriptam mittit epistolam? quomodo autem exosculamur, quoties ab amicis aut eruditis viris literas accipimus ipsorum articulis depictas? Tum demum ipsos coràm audire coràm intueri videmur? quid multis? Epistola digitis alienis scripta, vix epistolæ nomen promeretur. multa de suo addunt amanuenses. Et si dictes ad verbum, tamen abest illud secre-

tum, & quędam aliter pronuntias, nonnulla supprimas, ne conscium habeas quem nolis. Non est igitur hoc liberum cum amico colloquium, *ne quid interim loquar de fide scripti.* Subscriptionem effingere facillimum est, totam epistolam perdifficile est. Habet enim singulorum vt vox, ita *manus quoq; quiddam suum ac peculiare.* V R S. *quod dicis quemadmodum mirum, ita verissimum esse fateor.* L E O. *An parum interesse censes, vtrum ore suo quis referat tibi mentem suam, an per internuntium demandet?* V R S. *Plurimum refert, meo quidem animo.* L E O. *Mandatarius ille fieri potest, vt mentiatur, vt quædam prætermittat, vt aliter referat quàm accepit. postremo vt optima fide referat omnia, oculorum, frontis, vultus & vocis energiam non potest exprimere.* V R S. *Persuasisti plurimum ad rem facere, si puer statim discat quàm optime scribere, non solum ob causas quas tu quidem grauissimas commemorasti, verum etiam ob id quod facilius ac libentius scribit qui scite didicit scribere.* Habet enim *elegans scriptura non aliter quàm insignis pictura suam oblectationem, quæ tum scribentem in opere, tum legentem in studio remoratur.* Verissimum *est autem hic & illud quod dicitur, recte scribendo fieri, vt celeriter scribamus, non multum scribendo, vt bene.* LE O. *Superest igitur vt* inquiramus, *qua ratione fieri possit, vt puer & bene & celeriter discat scribere.* V R S V S. *Eadem cura me quoq; iam pridem torquet.* Nam *optarim ex tot* vrsinis *catulis vnum atq; alterum sic educari, vt ex homine prognati videri possint.* L E O. *Ergo communica si quid habes.* V R S V S. *Ex me quidem*

nihil habeo; cæterum quod ex alijs accepi, si voles, qualecunque est, proferam in medium, sed hac lege, ne tu cæles vicissim, si quid habes rectius. L E O. Polliceor. V R S V S. Nuper interfui conuiuio grammaticorum, opinor fuisse plures duodecim, diceres non modo iustum, sed & frequentem senatum ibi de rebus huiusmodi ferebantur suffragia. L E O. Conueniebat inter illos? V R S. Adeo, vt rem pulchre gestam arbitrarer, si ἀνόμωτί dimissum fuisset concilium. Nunquam vidi calidiorem de re frigida concertationem. Longa rixa fuit, quot essent orationis partes, alijs octo in quindecim proferentibus, alijs ad pentadem, alijs ad dyadem contrahentibus. In prælijs quamlibet acribus nox ingruens solet conflictum dirimere, hi medio conticinio fortissime vociferabantur od ipsum vsque gallicinium. Nec satis omnium memini, si iubes, referam quantum hæsit memoriæ. L E O. Mihi quidem pergratum feceris. VRS. Aggrediar, & quidem præpostere. Nam sonare primum est, proximum legere tertium scribere, de quo primo dicam loco. L E O. Hic quidem nihil refert. VRS. In primis aiebant curandum, vt puero statim exemplum quàm absolutissimum proponatur, quod effingat. Nec quicquam vetat, quo minus idèm sit imitatu facilimum. Nam vulgus scribarum flexibus, connexionibus, appendicibus, similibusq; friuolis ductibus quibus velut animi gratia lasciuiunt, multum difficultatis addunt scripturæ, fructus omnino nihil. An non vides, quanto Gottorum manus olim fuerit operosior Romana, & hodie Gallorum ac Germanorum quàm Italorum? L E O. Atqui Græcis successit ista literarum

connexio, in minusculis duntaxat. V R S. *quid enim istis non succedit? quanquam & hanc effectam esse nolim, multo minus feram scripturam crebis notulis decurtatam.* L E O. *Ne latini quidem prisci notulis huiusmodi caruerunt. Qua de re Probus grammaticus, etiam librum reliquit.* V R S V S. *Fateor, sed in paucis dictionibus, numerorum, ponderum, mensurarum, & aliorum quae solent identidem in sermone recurrere. Quanquam hoc quoque compendium, multum inuexit dispendij studijs. Nam in huiusmodi notulis vt est procliuis notariorum lapsus, ita restitutio perdifficili, quod idem vsu venit in Mathematicis, qui formis elementorum signant suas ἀποδείξεις.* L E O. *Perge.* V R S. *Primum igitur erit singulas elementorum figuras effingere, minusculas simul & maiusculas.* L E. *Quidam in elementis affectant obsoletam antiquitatem, velut è duodecim tabulis petitam, aut si quid his antiquius.* V R S V S. *Isti non minus absurde faciunt quàm faciunt ij, qui verbis iam olim desitis delectantur, perinde quasi cum priscis Aboriginibus, aut Euandri matre loquantur.* L E O. *Etenim si rem ab Assirijs ac Phoenicibus Cadmoque repetas, nec formas, nec sonos eosdem comperies. Sunt & qui suum quoddam scripturae genus affectant, ita scribentes Latina, vt parum exercitato Graeca videri possint.* V R S V S. *Ridendos mihi narras, non imitandos, nisi forte placent Apuleij & Sidonij, aut, vt recentiores attingam, Baptistae Pij, qui, quum suppetant probata, splendida, accommodaque vocabula, tamen confictis impudenter nouis malunt suo more loqui,*

perinde quasi nihil possit esse præclarum quod sit vsitatum. L E O. *At quod tandem formularum genus maxime probas?* V R S. *Maiuscularum absolutissimum exemplum est in nomismatis* Romanorum, *quæ temporibus* Augusti, *& aliquot post hunc seculis excusa sunt præsertim apud* Italos. Nam *in prouincijs artificum imperitia non perinde respondent. Minusculas undelibet suppeditat* Italia, *nisi quod ex omnibus eligendę, quæ & simplicissimæ sunt, nec ita multum recedunt à maiusculis.* Tantundem *de græcis præceptum esto.* L. *Quibus in rebus potissimum situs est literarum decor?* V R S. In *quatuor, in figura, contextu, serie, & proportione.* L E O. *Figuram ostendisse satis est?* VRSVS. Non *est.* Proderit *& partium ductum ostendere, et quomodo pari pars adaptetur indicare.* LEO. *Dic, oro te, clarius quod mones.* VRS. *Perlongum sit,* Leo, *de singulis disserere, dabo speciemen unde cætera conijcias.* LEO. *Expecto.* VR. *Alpha maiusculum grę cis ac latinis simili figura signatur.* Huius *sinistra linea paulo subtiliter, calamo transuerso ducenda à summa ad imum, dextra crassior, plano, quemadmodum et transuersa, quæ videtur addita, ne nullum sit discrimen inter* Alpha *&* Labda *Græcum. Hæc admonitus puer facilius imitabitur, quàm si tantum ostendas figuram.* LE. *Sanè recte.* VRS. *Alpha minusculum varie pingitur, sed commodissime si primum pingas o oblongum, dorso superne veluti gibbo nō nihil prominente ad dextram, deinde ab illius summo in gyrum commode flexo calamo, mollem addas semicirculum, inferne non nihil inflexum,* o, α. *Item b minutulum si velis pinge, ducenda*

est ex alto recta linea, id primum est, huic annectendus semicirculus, hoc est, inuersum ɔ, quod si inferne hiet, fiet h aspirationis nota. Idem columnæ si addideris lineam infractam, erit K, *Rursus eadem si inferne promineat extra versum, & addideris ad dextram inuersum c, fiet* p. *Si ad læuam rectum c, erit* q. *Si nihil annectas lineæ sursum prominenti, erit* l, *nisi quod inferne paululum inflectitur, quo differat ab* I *maiusculo.* LEO. *Stat est, habeo specimen, reliqua per me coniecto.* VRSVS. *Super est formularum varietas, quę maior est in grecis minutoribus. Deinde notulę decurtarum dictionum, quę res magis pertinet ad prompte legendum quàm ad recte scribendum. Sed primis initijs magis congruunt simpliciora.* Huic exercitationi *succedit contextus, refert enim quam literam cui iungas. quędam enim se non sustinent contingere, quędam gaudent contactu, quædam sibimet implicantur, veluti p & o refugiunt contactum, f, g, t, & fortassis alię nonnullę, quibusdam annecti gaudent, vt grande facinus, flagitium, traxit, nec tamen hę miscentur quibuslibet.* Græci *in pingendis minusculis feliciter lasciuiũt, literas aliquot inuicem complicantes.* Idem & *in maioribus tentatum, sed apud* Grecos *non temere nisi in notis numerorum veluti quum signantes quinquaginta, delta minusculum includunt py,* [Δ] Apud *Latinos tentatum à multis non successit. Profuerit igitur nouo scribę, si has formarum varietates non solum pictas, sed & pingi conspiciat.* LEO. *Super his, vtcunqꝫ minuta sunt, admoneri gaudeo.* VRSVS. *Post hæc de serie disputabant, vt intra rectas lineas decurrant*

plurimum confert ad decorem, ita recta distinctio, credi vix potest quantum adferat lucis ad intelligendam sententiam, vt non inscite dixerit eruditus quidam, aptam distinctionem, commentarij genus esse. Expedit *igitur & huic rei statim assuescere puerum, ita consuetudo vertetur in naturam, vt vel aliud cogitans seruet tamen in scribendo notulas huiusmodi non aliter quàm literas ipsas.* L E O. *Audio priscos illos nullis interuallis diremisse dictiones, sed perpetuo contextu produxisse versus.* V R S V S. *Fateor, atnec apices olim adhibebant* Hebræi, *vt Græci quidem, arbitror sua puncta, nos tamen non vsque adeò morosi sumus, vt si quid bonæ rei repertum sit à recentioribus, grauemur accipere. Hæc diligentia etiam illud adduxit commoditatis, quod scripturam apicibus, notulis, interuallisq; distinctam, minus in procliui sit deprauare.* L E O. A*pparet tamen veteres apicibus vsos.* V R S V S. *Istud qui coniectas?* L E O. Q*uia narrant Cadmum literas à Phœnicibus primum inuexisse. Eam rem fabula notatam, quæ fingit illum serpentis extincti dentes in terram seminasse, ex hac semente subito exiliisse duas galeis & hastis armatas acies, quæ se mutuis vulneribus confecerint. Atqui demiror quid hæc fabula faciat ad literas.* V R S. D*icam, nisi molestum est.* L E O. I*mò percupio, si graue non est.* V R S V S. I*nspexisti ne unquam os serpentis?* L E O. N*e cupio quidem.* V R S V S. *Mortui, inquam?* LEO. N*e mortui quidem.* V R S. Q*uis unquam audiuit* L*eonem timidiorem? Si tamen inspicias, numerosq; supernos et infernos dentes, tot reperies, quot lite-*

ras primum attulit Cadmus. LEO. Quot? VRS. Sedecim ni fallor. Otiosę sunt autem sicut natę sunt ordine positę, dissipatur, seminantur, atque ita demum plures numero varieq; digestę, viuunt, agunt, pugnant. Id si non credis, considera qua strage se vicissim conficiunt hodie qui literas profitentur. LEO. Veriora veris narrat. VRS. quid est autem scriptura, nisi mutus sermo, perinde quasi nutibus inter se colloquantur elingues? L. Nihil aliud. VR. Et sermonem à serendo dictum aiũt grammaticorum filij. Habes Cadmeę sementis allegoriam. Nunc excutiam scrupulum, qui, vt coniector, vrit te. Tonorum ac spirituum notulas, imaginaris esse lanceas & galeas exercitus. LEO. Recte diuinas. VRS. Imò partes elementorum sursum eminentes talium rerum speciem prębent, & si diligentius cõtẽplere, videbis illic non solum lancearios ac leuis armaturę milites, verumetiam cataphractos, clypeis, ensibus ac balistis instructo. Verum harum rerum imagines melius exhibent. Hebręorum elementa, à quibus profectus fuisse literas nostras unà cum ipsis figuris, non absurde quibusdam videtur. L E O. Istam fabulam, mihi crede, non narrasti surdo. Cęterum illud adiungas velim, quibus modis puerum oporteat istis assuescere noscitandis. V R S V S. De agnoscendis elementorum figuris mox dicetur. Agimus enim, vt dictum est, ordine prępostero. Ad exprimendum pictura singulas, primum est exemplar, deinde commonstratus ipse linearum ductus, pręterea manus docentis imposita manui pueri, eamq; regens ac moderans. Indicauit aliud adminiculum Fabius, vt eburneę tabulę primum litterae

simplices, mox syllabę ac dictiones, deinde versus ali quot quàm scitissime insculpantur, per eos sulcos puer consuescet stilum ducere, donec, iuxta philosophos, actio frequenter iterata gignat habitum. Nam hac arte di diamus & cęcos nonnullos prompte scribendi facultatem sibi parasse. Eadem opera fiet, vt nec diuariet à recta linea nec vsquam peccet ab harmonia proportionis. Olim stilo scribebatur in tabulis ceratis, nunc quoniam calamis aut pennis scribitur, in chartis aut membranis pingitur, alia scribendi ratio est. LEO. Et antiquitas folijs, arborum codicibus, aut linteis cerussatis, aut alioqui leuiter incrustatis inscribebant. VRS. Et nunc sunt qui in tabellis puluere oblitis stilo ęreo argenteo'ue scribant. Sed pręclarus artifex varias rationes comminiscetur, quibus puerili studio subueniat. Quarum vna est, si perfectum exemplar membranę pellucide supponatur, super quam puer calamum ducat sequens subiectas lineas. Altera est, si scribendi peritus stilo argenteo cupreo'ue vestigia literarum imprimat charte, deinde puer per eadem lineamenta ducat calamum, aut pennam atramento madentem. Eadem erit vtilitas si succo ligni cuiusdam figuras pręscribas, leuiter purpureas, quas puer tegat atramento. Hic prioris scripturę vestigia coarguent, quantum sit aberratum à pręscripto. Iam quidam vtuntur tabulis, in quibus fila, fides'ue glutino affixe, linearum vestigia chartis admotis imprimunt. Ea res ad figurarũ speciem non ita multum confert, plurimum tamen conducit ad rectitudinem versus, & ad harmoniam partium superne inferne'ue prominentium. Id commodissime fiet, si singuli ver

sus signentur quatuor lineis, aequalibus interuallis inter se distantibus, intra duas medias ducentur ipsa literarum corpora, quę vero prominent sursum ac deorsum, intra suum modum cohibebunt extremae duae. Eadem *arte licebit aequalibus spatijs dirimere versum à versu. Verum vt his adminiculis prodest exerceri puerum, ita non expedit semper his niti, sed vbi iam profecerit, consuescat absque cortice nare, nec semper linearum ductum desideret.* L E O. *Describendo videor mihi propemodum satis instructus.* VR S. *Vnum illud addam, hęc ita tradenda pueris, vt se ludere putent, non studere. Quiddam enim haec tanta docent acerbitate, vt pueri prius discant odisse literas quàm nosse.* Ad *hęc iuuabit ad picturam interim non nihil exerceri puerum, ad eā artem plerique sua sponte feruntur, dum gaudent & exprimere quod agnoscunt, & agnoscere quod ab alijs expressum est. Vt autem qui musices periti sunt, rectius pronuntiant etiam non cantantes, ita qui ducendis in omnem formam lineis digitos habet exercitatos, mollius ac felicius pinget literas. Si quid super his requiras subtilius exactiusque, extat liber* A L B E R T I D V R E R I, *Germanice quidem, sed eruditissime scriptus, in quo priscos huius artis heroas imitatus, nominatim* Pamphilum *natione Macedonem, quum omnium literarum, tum* Geometrices & Arithmetices *egregie peritum.* Nam *sine his disciplinis artem absolui posse negabat, ad haec* Appellem, *qui & ipse ad* Perseum *discipulum de arte sua conscripsit, multa praeclare tradit de mysterijs graphices, ex Mathematicorum petita disciplinis, et in his non pauca de figuris elementorum ac ductibus*

symmetriaq́; literarum. LEO. Dureri nomen iam olim noui, inter pingendi artifices primæ celebritatis. Quidam appellant horum temporum Apellem. VRSVS. Equidem arbitror si nunc viueret Apelles, vt erat ingenuus & candidus, Alberto nostro cesurum huius palmæ gloriam. LEO. Qui potest credi? V. Fateor Apellem fuisse eius artis principẽ, cui nihil obijci potuit à cęteris artificibus, nisi quod nesciret manum tollere de tabula. Speciosa reprehensio. At Apelles coloribus, licet paucioribus minusq́; ambitiosis, tamen coloribus adiuuabatur. Durerus, quanquam & aliàs admirandus, in monochromatis, hoc est, nigris lineis, quid non exprimit? umbras, lumen, splendorem, eminentias, depressiones, ad hæc, ex situ rei vnius non vnam speciem sese oculis intuentium offerentem. Obseruat exacte symmetrias & harmonias. quin ille pingit, & quę pingi non possunt, ignem, radios, tonitrua, fulgetra, fulgura, vel nebulas, vt aiunt, in pariete, sensus, affectus omnes, denique totum hominis animum in habitu corporis relucentem, ac penè vocem ipsam. Hæc felicissimis lineis, ijsq́; nigris sic ponit ab oculos, vt si colorem illinas, iniuriam facias operi. An non hoc mirabilius, absque colorũ lenocinio præstare, quod Apelles præstitit colorum prę sidio? LEO. Non arbitrabar esse tantum eruditionis in arte pingendi, quæ nunc vix alit artificem. V. Non nouum hoc est, insignes artifices tenui re esse. At olim inter artes liberales numerabatur graphice, nec hanc discere licuit nisi claris, mox honestis quidem concessa, cæterum vetitum ne seruitijs traderetur. Principum est ignominia, non artis, si caret suis prẽmijs. L. Sentio quã-

tum ad omnem facultatem parandam habeat momenti, statim optimis præceptionibus admonitum esse. VRS. His coniuncta est legendi cura, cuius celeritas, nisi primis statim annis pateretur, non temere contingit homini, quantumuis adnitatur. Vix autem fieri potest, vt lectione delectetur, qui legendo hæret ac laborat. Proinde, vt qui parum expedite scribunt, ad dictandi compendia confugiunt, ita qui difficulter legunt, aut in totum abstinent à libris, aut si quid coguntur scire, lectorem accersunt. vtrobiq; perit illud secretum quod præcipue alit ingenium, siue tuas cogitationes mandare literis pares, siue magnorum virorum cogitationes velis cognoscere. Vt autem puer statim per lusum agnoscere discat literarum figuras, rem adfero dictu humulem, sed tamen à summis viris traditam. Profuerit eas crustulis exprimere, vt diuinanti nomen elementi, præmiũ sit ipse cibus. Hoc Flacci consilium est. Fabius aliud indicat huic simile, vt ex ebore fingantur literarum formę, atq; ex his lusus aliquis pueris gratus proponatur, qualis est nucum, aut talorum, aut si quod aliud genus, quod nisi cognitis ac nominatis elementorum vocabulis peragi non queat. Quam ad rem accommodatissimus latrunculorum, ludus, quem hodie Scacorum vulgus appellat, sic vt hinc Grecæ, hinc Latinæ literæ inter se concurrerent, nisi quod operosior est, quàm vt ætati primæ conueniat, adultioribus aptissimus. Idem efficient munuscula, quę puerorum vestibus ornatus gratia affiguntur, aut in manum dantur vt cum voluptate intueantur, contrectent ac nominent. Videmus ętatem illam affici voluptate, si in picturis agno-

De recte prompteq; legendo.

ſcant hominis, aut animantis, alterius'ue rei figuram, ac nomen reddant. Simili illecebra poterunt & ad litras agnoſcẽdas irritari. Mox ad syllabarum connexionem progrediendum, hinc ad dictionum complexum, poſtremo ad orationis ſtructuram. Ea res fere conſtat memoria, quam volunt eſſe certam, eoq́; negant primæ fidendum, ſed nunc recto, nunc inuerſo, nunc confuſo literarum, syllabarum ac dictionum ordine repetenda ſubinde eadem & inculcanda, donec certam legendi facultatem & expeditam paratam eſſe conſtiterit. Nec ante tempus affectanda celeritas, quo fit, vt multum adferat moræ lectioni incogitans feſtinatio, dum auditor dubitat quid legerit, dum auribus non aſſequitur lingua properantem, dum quædam intermittuntur, quædam perperam ſonantur, unde dum vel alijs reuocantibus, vel ipſe tibi diffidens repetis multa, non parum diſpendij ſecum adfert male captatum compendium. Prima cura ſit, vt attente, vt emendate legamus, cæterum vt idem faciamus expedite, nec cogitantes ac velut aliud agentes, dabit vſus. Id quod ſcite præcepit Fabius, Certa ſit, inquit, in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. LEO. Iſta præceptio non hic tantum valet. VRSVS. Adijciebant & illud, dum legis in dextrum flectendos oculos, & quodãmodo præcurrendum, diducta in duas res animi intentione, vt aliud agatur voce, aliud proſpectu, quemadmodum qui facit iter, non hoc intuetur quod calcaturus eſt, ſic huic poſteriora intuenti priora recitanda ſunt. LEO. Demiror quur hoc natura inuiderit homini, vt altero oculo proſpiceret in dextrum altero in

cuum. Nec video quorsum opus sit duobus, quum fabri & balistrij, si quando maxime intendunt prospectum, alterum occludant oculum. VRS. Dicam, si quis te ca sus altero orbaret oculo, non' ne gauderes alterum super esse? LEO. Verum si legas Hebręa, in leuum flectendus prospectus. V. Nimirum vt in scribẽdo manus. Verum id minimo negocio docet paucorum dierum vsus. Noui qui & pedum digitis expedite sciteq; scriberent. Qui-busdam ea prospectus celeritas est vt oculis pręuolanti bus deprehensa sententia, bene legant etiam perperam scripta. quędam enim nisi cognito prius sensu recte sona ri non possunt, etiam si bene scripta sint. LEO Credo, sed plures sunt, qui recte scripta legant perperam. V. Quod dicam prodigij simile est. Viuit adhuc quidã de procerum aulicorum numero, qui nunquam legit ipsum quod scriptum est, sed loca sentẽtiam alijs reddit verbis. Rogatus à me num sciret se id facere fatebatur se frequen ter huius rei admonitum. Quęrebam num sciens ac vo-lens id faceret negabat, imò non dissimulauit se sibi hoc nomine displicere. Addebam qua nõ occasione venisset in eam consuetudinem. Num puer habuisset pręceptorẽ qui parandę copię gratia iussisset illum alijs uerbis effer re quod legeret, aut num quid aliud accidisset simile, ne gauit. Nam est huiusmodi musices genus apud Britan-nos, ut multi inter se concinnant, quorũ nullus eas sonat uoces quas habẽt codicum notulę. L. Habet natura suas quasdam arcanas causas, quas frustra scrutantur homi-nes. Et ipse noui puerum annos natum duodecim, cęte-ra perfectum, hoc tantum habebat prodigiosum, quod omnia uerba pręposte re loqueretur, quod in nostrate lin

gua scis esse absurdissimum. Nam Latine loquentibus, q̃q̃ ad decorum cōpositio plurimum faciat, tamen ad sensum ferè nihil refert, siue dicas, honora patrem tuum, siue, patrem tuum honora, nihil autem absurdius, quàm si quis nostrate lingua dicat, patrem tuum honora. V. Sic est ut dicis. Addunt autem pręceptiunculam, mea sententia, non asperandam, quę pariter & ad legēdum & ad scribendum pertinet, non nihil etiam ad mores. L. Audire gestio. VR. Moris est ut post agnitas formulas et contextas syllabas incipiant scribere nomina mox & oratiunculas. L. Sic est. V. Hoc operę nolunt insumi in uocabulis inanibus ac nihil significantibus, aut vulgo notis. LEO. Expecto ut melius dicas. VR. Scis bonam eruditionis partem esse, scire rerum uocabula. Hic supra modum cessatur à grammaticis vulgaribus, quorum vitio fit, ut adolescentes post multos annos in grammatica contritos vix norint ullius arboris, piscis, uolucris, quadrupedis, aut leguminis verum nomen. Ne domi quidem ullam suppellectilem latine nominare possunt adeo, ut quum uolunt sibi dari mantile, dicant, da mihi rem, & aut indice digito est opus aut uulgatę linguæ subsidio. Idem usu uenit si producantur in officinam cuiuslibet artificis; tantum generales rerum uoces utcunq; tenent, species prorsus ignorant. LEO. Istud mihi sanè usu uenit, ac mecum alijs quàm plurimis. Arborem, legumen, herbam, equum et canem ostēdere possum, at si quis exigat ut ostēdam alnum, aut fraxinum, aut ilicem, silurum, scarum aut pectinem, eruum aut milium, scolopendram, uiuerram, aut felem, hęreo. VRSVS. Sic et in Dialecticis pueri nihil audiūt nisi fortes

currit, Plato disputat. Si asinus volat, asinus habet pennas, & Sortem currere est possibile. LEO. Quid igitur hic consilij? VRS. Eadem opera licebit pueris praescribere, vulgo non obuia rerum vocabula, aut voces exquisitas, nonnunquam & bonae rei quippiam admonentes. Tam facile discitur quid sit lacerta, aut stellio, aut pectunculus, quàm quid sit canis aut vacca, nec difficilius scribitur, Tempori parce, quàm vacca mingit, aut canis latrat. Interdum vnica vox continet perfectam sententiam, vt σωφρόνει. id multo magis conuenit obseruari postea quàm eò profecit puer, vt integri versus iam sint ad imitationem praescribendi. Quur enim non potius illis praescribitur hoc carmen, Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu; quàm illud, Aut pluit, aut ningit, aut nostra pedisse qua mingit? In hunc vsum valebunt celebrium virorum apophthegmata, exquisitae breuesq; sententiae, prouerbia, ac lepide dicta, cuiusmodi suppellex ad omnem dicendi facultatem plurimum habet momenti. Quorum si quis singula contemnit, huic occinam illud Hesiodum, Pusillum pusillo si addideris, cito nasci magnum aceruum. Et haec inter lusum licet edi scere, nullarum rerum memoria tenacius ad ipsam vsq; senectutem haesura animo, quàm quae sic infixe sunt. Vides igitur quanta nobis hic pereat vtilitas. LEO. Vide

De recte pronuntiando.

sanè quanta pars aetatis nobis instituentium vitio praeterfluat. VRS. At vereor ne te dellassem, si quae de pronuntiando diserta sunt referam. LEO. Imò hic habebis attentissimum, quandoquidem hoc erat, quod me potissimum solicitabat, quanquam et caetera iuuat audisse. VRSVS. Quanquam ergo puer à nutricibus non discit

Latine, tamen referre dicebant, inter quas primum inci peret ęmulari voces humanas, quod ętas illa quoniam præter imitandi facilitatem nihil habet nescio qua rerũ humanarum infelicitate, citius propè reddit praua quã recta. Ac mire fit, vt *semel infantibus arrepta vitia in adultam ętatem sic persequantur, vt ęgre queant dedisci. Sunt autem oris ac linguę diuersa vitia, quorum aliquot nonnullis affixit natura, sed plura peculiaris cuiq; vel negligentia vel affectatio, bonam autem huius mali partem affert ipsa natio, vt in sonis suũ quęq; quiddam habent,* Hispania, Italia, Gallia, Germania, Britannia, *ac bene nobiscum ageretur, nisi singulę nationes in varias vitiorum species essent distractę.* Si *labdacismus est impotentia sonandi caninam literam, multis vitium hoc adnascitur, nonnullis delicię loquendi conciliãt.* Etenim *quum cæteris animalibus lingua sit absoluta, homini tot venis astricta est, vt quibusdam necesse sit in*terdi. Nec *hoc succedit omnibus.* Nam *alijs deterius accidit vitium, alijs lingua nihilo secius manet inexplanata. Memoriæ proditum est* Demosthenem *eloquentię principem, primam artis suę literam sonare non potuisse. Metellum pontificem lingua adeo impedita fuisse narrant, vt mensibus aliquot sese torserit, dum meditatur in dedicanda ęde verbis solennibus dicere opiferæ* Cereris. Nam *labdacismum quem scriptores notant in* Alcibiade, *delicijs non naturæ tribuendum arbitror.* De ρ.
LEO. *Ab istis ortum arbitror, quod pellucidum dicimus pro perlucidum, & pellicere pro perlicere, & pellegere pro perlegere.* VRSVS. *Haud male coniectus. Huius literę difficilior est sonus in initio & fine dictio*

nis, tum in medio duplicatæ, mollior si simplex incidat inter duas vocales. Exempla sunt, regula, motor, carrus oro, Durior etiam apud græcos, qui posteriori addunt aspirationem, vt χειλάῤῥους. *Hanc asperitatem quidam mitigant supposito* σ, *ut* θαρσεῖν *pro* θαῤῥεῖν. *Idē faciunt hodie mulierculę parisinæ, pro Maria, sonantes Masia, pro ma mere, ma mese. Etiam si non defuerunt apud Latinos, qui contrà Fusios ac Valesios verterint in Furios ac Valerios, atq; è diuerso, qui honos, labos, uapos & clamos dicere maluerint, quàm honor, labor, uapor, & clamor. His contrarij Eretrienses,* σ, *uertunt in* ρ, *dicentes* σκληρότηρ *pro* σκληρότης, *atq; hinc prouerbij iocos in Eretriensium* ῥῶ. L. *Isto uitio noui plurimos qui laborent. Verum, est ne remedium huic incommodo?* VRS. *Est, si intercidas plectri retinacula, nisi quod non uacat periculo tangere uænas, hoc est iuxta prouerbium,* τὰ ἀκίνητα κινεῖν. LEO. *Quum animantibus quibusdam tam mobiles & expeditas linguas natura dederit, demiror homini datam tot astrictam retinaculis.* VRS. *Multis expediebat nullam omnino linguam esse datam. Nunc neq; uænarum retinaculus neq; uallum duplex dentium, neq; labiorum oppositi muri satis cohibere possunt membrum hoc nimium uolubile.* LEO. *Nihil uerius.* VRS. *Rursus alijs tam est docilis, vt animalium omnes uoces indiscreta similitudine reddant, ut si tantum audias, credas vagire puerum, rixari foeminam, tussire senem, grunnire porcum, canere lusciniā, hinnire equum, latrare canem. Cæterū aduersus omne linguæ uitium ualebit difficultatibus exerceri, quo studio Demosthenes fertur triplex naturæ uitium expu*

gnaſſe. Nam exprimendum ρ linguam habebat inexplanatam, & ſpiritus erat, & uox infirmior multitudinis fremitu interſecabatur. Itaq; tophis ſubter linguam impoſitis, uerſus complures aduerſo monte continuato ſpiritu reſonabat, et in littore nonnuquam quum maxime fremeret mare, dictionem exercebat, vt populi fragorem aſſueſceret contemnere. Ita uerum eſſe docuit, quod à ſapiente quodam dictum eſt, μέλετη πὰν τα δυὸ χτω. Huic ſimillimum eſt quod indicat Fabius. L. quod nam? VRS. Exiſtimat os puerorum reddi firmius, ac ſermonem expreſſiorem, magisq;, ut ita loquar articulatũ, ſi ab his exigatur, vt nomina ac uerſus affectatę difficultatis ex pluribus asperrime inter ſe coeuntibus syllabis catenatos ac ueluti confragoſos quàm citatiſſime uoluant. Huiusmodi uerſus χαλεπὸυς dicunt. difficultas autem syllabarum aut dictionum, partim naſcitur ex natura literarum, partim ex connexione, partim ex turba concurrentium conſonantium, partim ex his omnibus. ρ, ξ, ψ & noſtrum f, durioris ſunt ſoni, unde rerum rex ξένος, pſittacus & effero, non admodum facile ſonantur. Quemadmodum & μνᾶ, πλύω, βδέω non quod in his poſtremis difficultas ſit in ſingulis, ſed quod parum ſibi congruant. Turba gignis difficultatem, quum dicimus glans & mens. Nam in his ſunt duę literę, l & n, omnium ſuauiſſime ſonantes. Ex multis ſimul naſcitur difficultas, quum dicimus ferrum feruor fragor, σπύξ, trabs, Thrax, Xerſes, Artexerxes, αἰσχροκερδής. Numerus autem literarũ in eadem syllaba non excedit ſenarium, qui tamen apud græcos ægre repitur. Fraus conſtat quinq; literis, ſed vnā abſor

bet diphthongus; strix habet quinque sine diphthongo, quemadmodum frons. Scrobs & stirps apud nos sex literis constant, soluta duplici, si Græce scribantur, quinque duntaxat, si stirps, sonetur, eadem syllaba septem literas complectetur. Apud Græcos vna dictio profertur, cuius altera syllaba sex literas complectitur, αἰσχροῦς, *sed ita vt diphthongus initialis separetur à consonantibus sequentibus, &* ου *diphthongus pro duabus supputetur. Versuum, quos à Græcis* χαλεποὺς *appellari diximus, hoc exemplum fingi poterit.* γραῦν χθωνίαν αἰσχρὸς φθόνος ἔῤῥαχεν, οὐ ξίφος ἐχθρῶν. *Item, Arx stridens rostris, sphinx præster, torrida seps, strix. In huiusmodi difficultatibus exercitatio reddet linguam ad cætera tum expeditiorem, tum explanatiorem. At hodie satis esse credunt, si facillimas quasque syllabas tradant, ba, be, bi, bo, bu, & harum similes, quum difficiliores magis sint inculcandæ,* μνα, πτυ, βδε, τλα, αυν, κνα, χνο, θνα, πνα, γνα, χθο, φτι, κτι, τμη, δμω, θλα, σμα, σφρα, *uelut in* μνημοσύνη, πτύω, βδέω, τλάω, γραῦν, κνάω, χνοῦς, θνητὸς πνέω, γνώμη, χθὲς, φθείρω κτῆμα, τμῆμα, τμῶλλος, δμῶες, θλάω, σμάραγδος σφραγὶς, *& huius generis alijs, quibus exprimendis, nisi protinus assuesseat os tenerum, vix unquam feliciter sonabit.* LEO. *Animaduerti quosdam esse, qui laborent in exprimendo, s, maxime si adhæreat illi consonans, vt est.* VRSVS. *Hoc est, vt opinor, quod nos blesum vocamus.* LEO. *Ab hoc vitio tam absunt Hispani, quàm Eretrienses absunt à Demosthenis vitio. Galli contra solent vel elidere, vel obscurare lite-*

ram hanc, lingua vulgari scribentes est, & sonantes, & producta vocali, Græci ψελλισμὸν *appellant, teste etiam prouerbio* ψελλὴ οὐ πιπλοῦσι. VRSVS. *Vitium hoc leuius est, & à nonnullis affectatur, qui blandiores videri student.* Illa *deformis linguę hęsitantia, & oris tremor, spasmi species, easdem syllabas iterans.* Id *alijs accidit in principio dictionis, alijs in fine, vitium inemendabile si in ętatem paulo adultiorem durauerit, pręcipuusq; labor est in k, q, c, p, & t, veluti quum* κυκυκύριε *dicunt pro* κύριε, *& pepepepedi pro pepedi, cacaue pro caue*, Tutullius *pro* Tullius, *rursus*, Ro*mana pro* Roma. LEO. *Vtriusq; mali possum exempla non illepida narrare*. VRSVS. *Libet audire*. LEO. *Sacrifico cuidam insigniter hoc vitio laboranti, quum adornaret immolare, contigit minister pariter eidem obnoxius malo, vbi ventum est ad* κύριε ἐλέησον, *quod apud nos alternis dicitur, multum temporis absumptum est, prius quàm ter absoluerent kyrie eleeson*. Tandem *sacrificus, vt hoc hominum genus dicitur iracundius esse, quid fiet, inquit, tun' me derides, an ego te?* Et exutus *amictu sacro reliquit aram, magno risu nostro* VRS. *Eodē malo laborare videntur ranę, nunquam absoluentes suum illud* κεκεκεκεξ. LEO. Apparet. Alio *quodam die audiui medicum in frequentissima schola disputationi pręsidentem, alioqui doctum ac vocalem, nec inexplanatę linguę, tantum geminabat extremam syllabam omnium dictionum, pro* Auicenna *pronuntians,* Auicennana, *pro scriptor, scriptortor, pro dicitur, diciturtur, pro pharmaca, pharmacaca,* Id Græci, *nisi fallor, appellant* ἰλλωμισμὸν, *aut* βαττα-

ρισμόν, fortassis & βαττολογίαν, nisi quod battologia repetit orationem. Sic enim apud Ouidium Battus, In illis, Montibus, inquit, erant, & erant, in montibus illis. Quem imitatus Mercurius respondet, Et me mihi per fide prodis, Me mihi prodis. Nos forte non inepte dixerimus titubantiam oris, cui cognatum est vitium hesitantie, quàm greci, ni fallor, vocant μογιλαλίαν. Hec omnia grauiora facit ira et pudor, aut alias vehemens affectus: quumq; alioqui, iuxta Fabiũ, pectus soleat facere disertos, his diuersum quiddam accidit vt obmutescant. Noui qui Austro flante sic hesitabat, vt vix duo verba eloqui. L. Vnde hec mala? V. Partim à natura, sed multo maior pars à consuetudine praua, presertim primis annis hausta. L. Et quod habes his vitijs remedium. VR. presentissimum. L. Obsecro quodnam? V. Vt taceant. L. At nulli minus id possunt. V. Ergo mittantur ad exéplum Demostheneum, ac dictum illud sapientis, μελέτη πάντα δύναται. L. Indica rationem. V. Accipe qui laborant in k, recitent subinde carmen in laudem Caluitij concinnatum ex dictionibus continenter literam hanc primo loco habentibus. Qui in t, tales versus repetant. O Tite tute tati, tibi tanta tyranne tulisti. Aut tales, At tuba terribili tonitru, tara tantara trusit. Nihil negocij fuerit alios consimiles effingere. Profuerit & singulas dictiones, & orationis membra lente distincteq; pronuntiare, per silentia quodammodo redingratis linguæ viribus, voce nonnihil ad cantum deflexa. Noui siquidem viros ad primæ doctos, qui priuatis colloquijs deformiter titubabant, è cathedra clarius loquentes, nihil eius vitij pre se ferebant. LEO. Nihil hic valet me-

dicorum ars? V R S. *Arbitror posse nonnihil si nosi sint omnes musculos, quorum opificio vox promitur. Qui si fallant, habemus hic diuam opiferam.* L E O. *quam ais?* V R S. *Eulaliam.* L E O. *Ad diuos confugere extrema quidem est ancora, et fausti ominis nomen est.* V. *quoniam autem grammatici excipiunt vocabulorũ controuersiam, labdacismus fortassis erit, vbi quis si literam l, nimium operose sonat, veluti si quis pro lucet, dicat ellucet, aut pro salua sallaua, quod vitium in magnis aliquot viris deprehendi, sed quod affectationi potuit imputari, non naturæ. Dum enim plus iusto studerent articulate loqui, in hoc malum deflexerũt.* Idem *faciebant in litera* ρ, *sonantes serava pro serua, verаba pro verba.* Cui *simillimum* videri *potest, quod græci uocant* Iotacismum. *Id mihi videor in quibusdam genere Græcis animaduertisse, nominatim in* Georgio Hermonymo, *qui se Spartanum prædicabat, docebat autem* Lutetię, *recenti memoria plurimis adhuc notissimus.* Et *apud* Latinos *sentias quosdam intorquere os, quoties hanc student nimium exprimere. Alij quoties sequitur vocalis in eadẽ syllaba, pro, i, propemodum sonant, g, vt gecit pro iecit, egicio pro eijcio. quanquam enim iota transit apud latinos in consonantem, si præcedat in eadem syllaba vocalem, tamen sonus debet esse medius inter vocalem & consonantem. Sunt qui simili loco pro, i, sonant ferè, z, vt pro ianua, zanua, pro Iesus, zesus, pro iecur, zecur.* R*ursus alij sic sonant tibijs,* Virgilij, *vt ante secundum, i, videaris audire, i, consonantem, & pro duabus efferunt treis.* Sunt *rursus qui pro, e, sonant i, quemadmodum pro a, o, de*

Labdacismus.

quibus suo loco dicetur conuenientius. Addunt & Metacismum dum plus æquo exprimitur m, incidens in finem dictionis sequente verbo, cuius prima sit vocalis, vt plurimum, audet, hic volunt m, euanescere, vt sones plurim audet. Sicut in illo Cic. Quousque tandem abutere. Tanda butere dici volunt. Quod vt nolim refellere, ita credo non nihil interesse inter sonos, quum dicimus, animam agit, & quum, anima agit. Nam in priore nisus sentitur volentis exprimere m. Vnde Fabius admonet m, in talibus syllabis, neque prorsus audiri, neque tamen non audiri. Idem inter oris vitia commemorat ἰσχνότητα, quam exilitatem siue angustiam possis dicere, quę quibusdam adest natura, alijs morbo senio' ue, nõ nullis accersita, dum arctatis arterię circa imas fauces musculis, vox semiclusis labijs promitur. Cui contrariũ est, πλατυασμός, quum nimium diductis faucibus, & ore plus satis patulo sermo promitur. quorum illud si natura contingat, Aristoteles timidę mentis argumentum interpretatur, hoc stolidę. Hollandię vulgus ferè summis labijs loquitur, germani superiores contrà, penè ab umbilico voces ducunt. Vnde mihi videntur hæc duo non solum ad vocis exilitatem, verumetiam ad oris indecoram vel contractionem vel diductionem pertinere. Nam in multis vtrunque vitium deprenditur, in quibusdam etiam nationibus vt peculiare ridetur. In nõ paucis autem deprendas κοιλοστομίαν, quum vox velut è cauo specu, e q; recessu oris resonat. Et hoc uitiũ quibusdam addidit natura, quę linguam dedit prima sui parte nimis astrictam, alioqui latiorem, unde fit vt uox fundatur in latera faucium, atque hinc repercusse resonet.

κοιλοστομία.

qualis umbrarum vox esse fertur, eoq; qui simulant huiusmodi spectra ex olla fictili verba promunt. Quidam habent coruinum quiddam, quidam stridulum balbum ac senile, qualis est edentulorum oratio. Nonnulli totus sermo crassior est. Sunt qui voluta intus lingua nescio quid Hebręum resonant. Sunt qui syllabas extremas audiri non sinunt, verum eas quodammodo deuorant deglutiuntq;. Quod pueri metu faciunt, ne deprehendantur inemendate loqui indicio postremæ syllabę, ita quibusdam populare est. Hos gręci peculiari vocabulo dicunt κολοβώτας, idest, decuratores. Rursum sunt, qui postremas omnes vacuant Hebręorum ritu. Sunt cornicanes, quibus sonus per nasum erumpit potius quàm per os, vt omittam quorundam gargalismum, ructum, singultum, crepitum inter loquendum, stridores sibilos, gemitu, screatus, tussis, risus, quibus sermonis tenor interciditur. Deniq; innumera sunt vitia, quibus à recta pronuntiatione disceditur quàm gręci ὀρθοέπειαν appellant. De quibus incidet postea locus, vt aliquid dicamus. Hęc in hoc tantum admonui, vt infantem ab eorum conuictu submoueamus, qui vitijs huiusmodi sunt obnoxij, & si quid vel natura traxit, vel consuetudine contraxit huiusmodi vitiorum, id mature corrigatur. κολοβώταυ.

Iam est peculiaris quidam cuiq; genti oris sonus, quem proprijs vocabulis notare difficile sit. Quanquam enim latini & gręci ijsdem penè literis vtuntur, tamen agnoscas gręcum etiam latina sonantem, & contrà græcus agnoscit latinum gręca sonantem. Hanc ob causam Fabius suadet, quidem vt puer prius græcis imbuatur, non vult tamen diutius in his hærere, ne peregrinus

oris sonus prosequatur etiam latine loquentem. Fœdum est enim hominem in ea lingua videri hospitem, in qua natus est. Quod si negligentia acciderit, desidię crimen est, si affectione, stulticię tribuitur. Nec desunt tamen qui hoc ceu bellum & elegans affectent, sic redeuntes nobis ex gallijs, vt latine sonantes vix intelligantur, & si quid habeat ea gens in dicendo vitij, puta volubilitatem linguę, confusos accentus, aut voces nihil significantes, interiectionem vice subinde mixtas latinis, id studiose repræsentent, quo valde galli videantur. Nos quoniam gręca ferè discimus in hoc vt veterum libros euoluamus, potius quàm vt cum vulgo gręcorum fabulemur, prę stiterit vtriusque linguę rudimentis semel traditis, in latinis potissimū exerceri, donec confirmatus adolescens iunctis vtriusque literaturę studijs tuto progredi possit. LEO. Et istam fabulam Vrse, haudquaquam surdo canis. VRS. Nunc si non est molestum audire, restat commemorare quid illi de sonādis singulis elementis tradiderint. LEO. Audiam per quàm libēs. VRS. Atque operæpretium est, nunc enim tota ferè pronūtiatio deprauata est, tum apud gręcos, tum apud latinos. L. Quid audio? VRS. Sic est. LEO. Vnde nam id accidit? V. Partim ex corruptela vulgati sermonis, partim hinc quod soni vocum scribi non queunt. Et scis quàm nihil apud populum stabile, nihil diuturnum. Verum hoc interim mihi credas velim, mox demonstraturo, si pauca de sonis elementorum perstrinxero. Ordiar autem à vocalibus, quas latinis esse quinque notissimum est, a, e, i, o, u, Gręcis septem, α, ε, η, ι, ο, υ, ω. Et apud latinos omnes ancipites esse, apud græcos duas natura breues, ε, ο, toti-

dem longas η,ω. tres ancipites,α,ι,υ, Ex his A, didu ctu largiter ore profertur, lingua recta suspensa, hoc est, nec ad palatum superius eff exa, nec in anterius dentium vallum impacta, nec in latus dentium illisa, nec inter dentium hiatum inserta, voxq; prodit ex arteria profundiore, feriens superius palatum. Quur autem vocales dicantur à grammaticis iam olim reddita est ratio, vel quod elegantius sonent, vel quod per se sonent, vel quod alijs, quę consonantes vocantur, vocem tribuant alioqui mutis, nisi si quid edant stridoris, aut strepitus, unde & semiuocalibus nomen. Sed quur Alpha inter vocales primas teneat difficilior est quęstio. Quidam aiunt Cadmum ob hoc primum locum tribuisse alpha, quod Phœnicum lingua bos appelletur alpha. At Hesiodus in paranda re familiari, primo loco secundum domum & vxorem ponit βοῦν ἀροτῆρα. Hęc ratio per me, Gasca Gascis arrideat licebit, mihi probabilius videtur, ideo prælatum apud grecos inter ancipites, quod hæc in compositione syllabarum præcedit i & y, quum ipsa nullam sequatur vocalem in eadem syllaba. Nam in vaco, & iaceo, prima migrauit in vim consonantis. Nec aduersatur huic rationi, quod adfertur ab alijs, hoc esse naturale minimeq; operosum loquendi exordium. In loquendo siquidem nihil est prius, quàm diducere labia, mox nullo alio vel dentium vel linguæ vel labiorum adminiculo, vocem ędere, quam primam audimus in pueris nascentibus. LEO. Nec dissimilem in ouibus balantibus. VRS. E, simili modo profertur, nisi quod ore parcius diducto, vox non erumpit sursum in cœlum oris, sed in linguam infimam, quę leuiter

ferit vtrinque dentes molares, reductis introrsum labijs. Inter hęc duo elementa, *medium est* η *gręcorum, quod effertur rictu minus diducto quàm in* α, *hiantiore tamen ac minus in ima depresso sono quàm in* e. Cognationem *arguit primum, quod apud gręcos,* α *frequenter vertitur in* η, *& contrà vt* πρίηπος pro πρίαπος, & ἰητρὸς, pro ἰατρός. Contrà τὰν pro τὴν. Apud latinos *ferè vertitur in e longum, ut* κρῆτες Cretes, & σπλὴν *splen*. Id *si crassiore* Minerua *tibi demonstrari cupis*. L E O. *Crassissima si potes, atque adeo, si libet, adipali*. VRS. *Iustum est, a quod sonant* Itali. *Immodice diducto vel rotundato magis ore sonant* Vuesphali; *referentes* Ionicum *quiddam, qui pro alpha sonabant* ω *mega, dicentes pro* θῶυμα *pro* θαῦμα, & ὡυτὸς pro αὐτὸς, *vt alij contrà,* ω *vertunt in alpha, pro* τῶν νυμφῶν *dicentes* ταῖν νυμφᾶν, μουσᾶν *pro* μουσῶν; πρᾶτος *pro* πρῶτος. *Item* ε *vertitur in* η, *vt* ἤυσε μέγασε, & *pro* ἐβουλόμην, ἠβουλόμην. *Hæc nimirum arguunt his literis vicinitatem quandam in sono fuisse,* η *vero sonuisse videtur apud gręcos, quod nunc sonat* a, *Scotorum, aut* Hollandorum *quorūdam, neque enim omnes eodem modo promunt, ac de vulgo nunc loquimur, ne quis eruditus existimet hęc ad se pertinere. Quum eum hi dicūt ama, mediam vocem audi inter ama & eme* Italorum *more pronuntiata, quemadmodum alij, quot diximus* Ionicum *quidam referre, penè sonant omo*. Nunc *fac vt oculis os, auribus sonum obserues, dicam primum Italice, mox Scotice, postremo Vuesphalice*. L E O. *Isthic sum*. VRS. *Ama, ama, ama, fama, fama, fama,* Ianua, *ianua, ianua*. LEO. *Grassissime profecto dicis,*

sed

sed tamen ad docendum apposite. Verum age dic, aiscernuntur ne hęc apud Gręcos? VRS. Vix sentias, sed iam admonui pronuntiationem esse corruptam. Siquidem quàm, nunc habent eruditi, non aliunde petunt quàm à vulgo scis quali magistro, verum de his mox. Iam in e pronuntiando non leuiter peccat vulgus. LEO. Quid ita? VRS. Quia literam eandem aliter atq; aliter sonant, nunc ore contractiore, nunc diductiore, de nostratibus loquor. Nam Italorum hic, vt in alijs plerisq;, correctior est enuntiatio. LEO. Expecto exemplum. VRS. Dicam in genere, Quum e, finit syllabam, sat recte sonant, quum adhęrent illi consonãs, vel a sonant pro e, vel u, hoc est, a Scoticum. Demo probe sonant & peto, at perago, peruia, sperma, diductus resonant quàm par est, & in lego contractius efferunt quàm in lex, in rego q̃ in rex, in rebus quàm in res. Verum id potissimum accidit, quum e excipitur à consonante r, quum enim dicunt aspergo, secunda syllaba nihil aliud sonare videtur, quã in sparta prior, & in peruius prima minimum aut nihil discernitur ab ea quę pręcedit in paruo. Item in pertundo & partu, erro & arra, verro & varro. Idem vitium sequi solet etiam gręca sonantes, ni fuerint diligenter admoniti. Vix enim in πέρθω et παρθένος discernũt primas syllabas. Quanquam hęc felicissime distinguunt Itali. Vix in alia litera magis errat Gallorum vulgus, a pro e sonantium, si quando vocalem excipiat n, aut m. Nam pro quendam sonant quãdam, pro valens valans, pro redemptus redamptus, pro emblemata amblemata, pro vendo vando, pro ventosus vantosus, pro tempus tampus. Hunc errorem subinde deprehendimus etiam

in codicibus Gallorum manu descriptis aut excussis, hic tamen emendatior est Picardorum *enuntiatio, nec vlli magis peccant, quàm qui sibi mire* Gallice *videntur loqui. Quod non in aliud monemus, nisi vt hęc protinus discant pueri ne prauus vsus hęreat* Latina *gręcá ue sonantibus, ne' ue pro* ἔμπορος *enuntient* ἄμπορος *pro* ἔντερα ἄτερα. L. *Prorsus ita res habet.* VRS. *Iam* i, *minus etiã diducto rictu sonatur, ac penè coeuntibus dentibus, quibus sensim lingua illiditur, qua parte sunt genuini, sic vt labia nihil adiuuent sonitum, sed reducantur potius aliquantulum, vt in* e. L. *Teneo.* VRS. *Et hic bifariam peccatur à multis.* Siquidem *apud* Brabantos, *campestres quidam pro* i, *sonant diphthongum* Gręcam *ei, quàm euidenter audis quum nostrate lingua dicis oui, & quum* Latine *dicis, hei mihi, veluti quum pro via dicunt veia, pro pia peia.* Rursus Scoti *quidam pro e sonant propemodum i, dicentes pro faciebat, facybat.* Et *a consuetudo sic à puero inhæserat* Ioanni Coleto, *viro alioqui facundo & erudito vt nec in pronunciando, nec in scripto vitaret, quamlibet admonitus ab amicis.* Ne *is quidem nouus est error.* Siquidem *victorinus Afer obiurgat discipulos suos, quod e, verterent in i.* Et *rursus i, scriberent pro e.* Ac *prisci grammatici, cumq; his* Fabius, *ostendunt esse quendam sonum medium inter e et i, vnde factum est, vt alij hanc alij illam vsurparent in eisdem dictionibus, velut heri & here, aduerbium sono vocalis discernebatur, ab heri et here nomine.* Eiusdem *arbitror esse generis, tempori & tempore, luci & luce, vesperi, & vespere aduerbia.* Hęc *interdum transit in consonantem, quàm nõnulli, sicut ante monuimus, plus*

ſatis ſonant, ſic dicentes iecit, quaſi dicant gecit, & maieſtas, quaſi ſit mageſtas. Idem *vſurpant in gręcis dictionibus, quum i, apud gręcos ſemper ſit vocalis, ne cunq̃ præcedat alteram vocalem in eadem syllaba, vt* ἰαχρός, ἴαμβος *unde perperam quidam iambus ſonant diſsyllabum, quum vox* ἀμφίβραχον *reddat.* Sequitur *o, ſimiliter ex arteria prodiens, quemadmodum a, lingua recta quidem, ſed introrſum modice reducta, niſi quod ore non ſolum diducto, verum etiam rotundato, quod ipſa elementi figura videtur admonere quemadmodũ i, ſua forma monſtrat vocis exilitatem, & e, labioꝝ reductionem nobis veluti pingit.* Item A, *patens inferne, rictus diductionem pingit.* Peccatur & *hic à vulgo, noſtrate duntaxat.* Nã *gręci* Italiq; *recte ſonant.* L. *quo pacto?* O

V. *Primum* Bataui *literam hanc promunt ore contractiore quàm opus eſt.* Deinde *eandem non eodem modo promunt.* Rotundius *enim ſonat in nos, q̃ in nono, q̃ in non ne, in omen, q̃ in omne.* In *poſterioribus enim noſtri pena ſonant pro o, u* Vueſphalicum. L. *Planè ſic habet,* V. At *faciam vt clarius etiã rem pſpicias. quod diſcrimen vulgo facimus inter on, quod eſt in tõdere et inter un, quod eſt tundere,* Nec *aliud ſonat o, in rhombus q̃ u, in tũbo.* Item *in ſunto et ſontes.* Atqui *o diductiore rictu pronuntiandũ erat.* L. Q*uã multa peccamus ĩprudentes.* Vel *ab aſinis diſcere poteramus huius literę pronuntiationem, unde illi apud gręcos nominis initiũ,* ὄνος *et ipſi ſono* ὀνοματοποιός. V. *Itẽ ω mega nihil differt ab o, niſi quod α longũ differt ab α breui.* Nã *pleniore ſono profertur, de quo ſuo dicetur loco.* Pro *u vero formabis* V ω Gallicum, *ſi labia paululũ exporrecta iunxeris.* Eandẽ V

literam rotundiore mugitu sonant Germani, immodico Vueshpali. Nec desunt tamē apud Italos, qui Gallorum more sonent veluti Bergomates. Nonnulli contra labijs ad trium digitorum spacium indecore porrectis, nimirum Batavi contrarij, Romani modice. Nec omnibus feliciter cedit huius vocis affectatio. Nostrates enim quum affectant Vuesphalorum imitari mugitum, non possunt id perpetuo fucare subinde lingua relabente ad inolitam, velutiq; natiuam consuetudinem. Hāc inequalitatem frequenter animaduerti in sacrificis Britannis. Nos in hac pronuntianda parum etiam nobis ipsis constamus, nonnunquam in eadem dictione, velut in nullum, nullum, & Tullium, In prima siquidem audis u Gallicum, in postrema u Vuesphalum. Idem sentire licet in huc & hunc, in illud et illum. Sona Batauice fontes. LEO. Fontes. VRS. Sona fundere. LEO. Fundere. VR. quod discrimen audis inter vtriusq; dictionis primam syllabam? LEO. Nullum. VR. In rhombo & plumbo, quid interest inter u, & o? LEO. Profecto nihil. VRS. Nunc mihi considera eiusdem literae sonum non eundem. Sona, sunt. LEO. Sunt. VRS. Tolle n, et dic sutor. LEO. Sutor. VRS. An non sentis lōge diuersum sonum? LEO. Quid ni? VRS. Rursus, sona plumbum Batauice. LEO. Plumbū. VRS. Abijce liquidam & dic pluma. LEO. Pluma. VR. Quid simile huic u, cum illo? LEO. Nihil. VRS. Idem senties, si ex tundere facias tutudi, ex fundere fudi. Verum in his fortassis aliquanmlum patrocinabitur antiquitas, quae sont & dicont, quàm sunt & dicunt scribere maluit. Apparet enim & apud illos paulo sonantius fuisse u. sequente li

quidã n aut m, quàm in alijs dictionibus, quemadmodum contrà in nonnullis medium sonum obtinebat inter u & i, vt in optimus, pessimus, unde veteres has voces per u scribendas putabant, optumus, pessumus, quod in his aliud quidam sonaret quàm quod in opimus & fimus. L. *Probabile est quod narras,* V. *Tantum de inconstantia.* Nunc *ad cetera propero,* VR. V Gallico *respondet v grecorum, vel ipsa teste figura, que nobis cum illis communis est, nisi quod nos sinistram lineam infrne protraximus* υy. *u* V*uesphalico respondet greca diphthongus* ου. *Argumentum est, quod in vsurpãdis grecorum vocibus, ueteres frequẽter v grecum verterunt in u nostrum, uelut in* ὓς *& sus, in* μῦς *& mus, in* ὑπὲρ *et super,* ὑπέρβιος *& superbus. quin et latini ex Sylla Sullam faciunt, ex* ἀφύα *apua. Idem arguit quod galli vulgo pro* θύειν *dicunt tuer, idest mactare, vsurpata voce greca, nisi quod abyciunt aspirationem.* LEO. *Poteramus istud vel ab aui ridicula discere, cui grecis à cantu natiuo uocabulum* κόκκυξ *que in* θέσει *cantus noni, sonat sed u* Gallicum *& hanc* Latini *cuculum, ni fallor, vocant.* VRS. *Qui scis an auis hæc non eodem modo canat apud grecos, quo apud nos? Sed ad rem.* R*ursus* ου, *vertunt in u productum, ut* μοῦσα *musa. Hoc adeo verũ est, vt prisci Latini, si quando uolebant syllabam haberi longam, addere soleant, o, loumen scribentes pro lumen, noumen & floumen pro numen & flumen. habet autem omnis syllaba longa sonum uegetiorem breui. Nam producta uocalis quemadmodum & diphthongus gemina quodammodo uocali est. Atq; ex huius rei neglecta distinctione grauissimus error, quum apud grecos, tum*

vero apud Latinos extitit. Apud Græcos enim, vt dixi sunt natura longę η & ω, cumq; his oẽs diphthongi, breues ε, ο. apud Latinos uocales omnes sunt ancipites licet non ijsdem syllabis. quanq̃ autem gręcus pronuntiando confundit longaꝝ ac breuium discrimen, tamen scriptura distinguit. Apud Latinos non idem fit. Qua de re post referam quod accepi. Illud notissimum est, u literã apud Latinos frequenter transire in naturam consonantis, interdũ elidi, nonnunq̃ sic admisceri consonantibus, vt propemodũ euanescat, at non quibus libet Consonans fit, quoties pręponitur vocali, vel sibi, vel alteri in eadẽ syllaba, vt vanus, venor, vinum voueo, vulnus, seruus. Eliditur sequens m vel n, ut in enimuero et inuidia. Docent hoc versus Terentiani, Sine inuidia laudem inuenias, et amicos pares. Et, Enimuero Daue, nil loci est segniciç neq; socordię, In quoꝝ priore nisi primo loco sit tribrachus, sininui non constat senarius trimeter, sic vt secundo sit spõdeus dia, lau, dia, contractis in vnam syllabam q̃q̃ potest & proceleumaticus accipi in posteriore nisi primus locus habeat anapęstum, non constat versus terrameter. Neutrum autem fieri potest, nisi illic elidas u, hic u cum m, quę inter consonantes fermè solet elidi pręcedens vocalem. Admiscetur autem his consonantibus. q. c. et. s. vt qui, cui, ęquor, sanguis, anguis, lingua consuesco, & suauis, si adsit synęresis, & faciat dissyllabum, nec tamen hic prorsus euanescit. Vulgaris lingua idem facit in pluribus, velut quum dicit fatuum, u admiscetur d. Item quum sonant duo, coniũgunt, t. Gręci uero quemadmodum pro nostro f, vtcunq; sonant φ, ita u nostrum consonans, quo reddant non habent, nisi quod

V cõso nans. Duas. tvve.

recentiores in hoc abutuntur β, de quo paulo post dicetur. Si quando coguntur nostra suis literis scribere, pro Valentinus faciunt οὐαλεντῖνος, pentasyllabum. In hunc opinor vsum Aeoles reperant digamma, quod medium esset inter u, consonans nostrum & φ. Item quoties exprimunt Quintus, non aliter possunt quàm κοῖντος, quod eam literam velut euanescentem nesciant. Apud illos enim v, nullam precedit vocalem in eadem syllaba, preterquam in diphthonga abusiua, υι. Indicauit hoc quintilianus, in equor, et equum reddi sonum quem greci nullo modo possint exprimere. Hactenus, de vocalibus aliquot. Nunc ad diphthongos accingor. L. Vt Iubet. VRS. Primum illud manifestius est, quàm ut uel ab eruditis grecis negari possit, pronuntiationem, que nũc vulgo grecorum cum doctis est communis, pperam sonare diphthongos aliquot & simplices item aliquot vocales. L. quas? V. Non ne .η.ι.υ.υι.ει.οι. in discreto sono pronuntiant? L. Ita mihi videtur, aut si quid est discriminis, vix aures pcipiunt. VR. Frustra igitur sunt distincte litere, si sono nihil differũt. L. Apparet ueteres aliter pronuntiasse. V. Rursus aliquot ideo dicuntur propriae diphthongi, quod due vocales vt scribũtur, ita sonantur quod idem in his non fit que dicuntur abusiue diphthõgi. L. Sic est. V. Atqui in αι.οι.ει. quid audis nisi simplicem vocalem in prima e, in ceteris i. LEO. Nihil prorsus. V. Ne quid iam disceptem de αυ & ευ, in ου quid audis nisi u, Vuesphalicum? Non enim aliud sonat prima huius uocis αὔρω quàm prima huius ἔρως. Nec aliud sonat vltima in θαυμασοὶ. quàm vltima in ἑλληνιστὶ, aut ἀκονιτί. Nec aliud penultima in ἀλήθεια quàm in σοφία.

De diphthongis.

Proinde aut frustra discernuntur à diphthongis improprie dictis, aut alio sono proferebantur quàm hodie proferuntur. L. *Non habeo quòd refellam.* V. *Rursus, quid aliud audis in ultima* γραμματικῆς, *quàm in ultima,* κλιμακῆς *Quid aliud sonat penultima in* μί'α *pro vna, quã in* μυῖα *pro musca, & ἀφύα pro pisce ?* L. *Aut omnino nullum, aut perquam tenue discrimen est.* V. *Et tamen extra controuersiam est, literas tota natura diuersas esse.* L. *Demiror.* V. *Et quid mouit Latinos, ut tanto aliter sonarent au & eu, quàm græci ? Quid enim simile* παῦλος *& Paulus,* εὐιο *& Euius. Et tamen opinor, hic Latinorum pronuntiationem emendatiorem esse quàm græcorũ. Apud nos enim utraque uocalis auditur in audio & euge, à quo sono græcorum aures iu tantum abhorrent, ut quum nostra sonare conantur aũdio dicant tetrasyllabum pro trisyllabo, audio, & claũdus trisyllabum pro claudus dissyllabo, pro heu monosyllabo, héu dissyllabum. Atqui si græci recte sonant* αυ *&* ευ, *seruãdus erat idem sonus* υ, *in* οὗτος *&* λόγου. *At in his nihil auditur quod vllo modo uergat ad sonum* f, *aut* u, *consonantis. Porrò quum sua efferunt, in diphthongo propemodùm sonant* f, *aut* u *consonans, veluti me dicans adhære sequenti vocali, vt* ὀρφεύς, βασιλεύς, βασιλεύω, εὐαγγέλιον, *Atqui diphthongus non constatur ex uocali & consonante.* LEO. *Quo sono credis hæc veteres extulisse ?* VRS. *Referam quod in senatu Grammaticorum audiui.* L. *Sat erit.* V. *Coniecturam faciebant ex linguis popularibus, in quibus vtcunque corruptis resident antiquæ pronuntiationis uestigia,* οι *diphthongus Gallis quibusdam est familiarissima, quum*

vulgari more dicunt, mihi, tibi, sibi, aut quum pronun-tiant, fidem, legem, ac regem. Hic enim audis euidenter vtrunque vocalem o, & i. L. Sic est profecto. V. Ad eum propè modum sonuisse veteres arbitror, μο, σοι, οἷ τοῖος et κύεσοι. Alioqui quorsum appellantur diphthongi pro-prię, nisi eadē syllaba geminę vocalis sonum ędat? Atque ob id producitur & diphthongus omnis, vt vtraque pos-sit audiri. L. Probabile narras. V. Iam ου diphthōgum euidēter audire licet in lingua Germanorum, quum no-minant Cæsarem, quanquam hic Batavi propius acce-dunt ad sonum e, uel ἦτα, quod penè faciunt, vt dictum est, perpetuo in a vocali. Neque non sentitur apud nos di-phthongus ει, si Hollandice dicas, ouum, paratus, ver-sutię, Maius, fœnus, seductus, caro. Apud Gallos hæc rarius auditur. Ου vero arbitror priscis ferè sonuisse, quod Batauus sonat, senex frigidus, & aurum, aut eam tu- oude
nicæ partem quæ tegit brachium. Rursum Latinam di- cout
phthongum æ audis, quum sonat malus, vadit, consi- gout
lium, sapor. Oe vero quum sonat panem, nudum, & movve
rubrum, callidum, & fragile aut necessitatem, aut si di- quaet
cas Gallice, tribus viribus, Britannice, nix. Quanquam in his linguis deprehendas & alias diphthongos à grę-cis pariter ac Latinis differantes ueluti quum Gallus di- mieulx
cit, melius, parum, aut fastidiosum, aut periculosum. Itē peu
quum Batauus dicit, mendacium, ceruical, aut ianuam, aut Iudæum, quum Galli, florē, aut honorem. Cui non dissimilem habent Hebræi. In nonnullis audias tres vo- bean
cales, vt quum Galli dicunt formosum patrem, in Gr-mioso audis, e, a, & u, quum dictio sit monosyllaba. In alijs diphthongum inuersam, vt cum Batauus sonat riedt.

arundinem, aut margaritam pro foemina, audis enim i, ante e. Item quum Coloniensis dicit salutem, audis u ante e. Rursus quũ Hollandice dicis, dulce, aut bonum, audis diphthongum nouam, nullis literis exprimendã, sed sonum quendam medium inter o & u. quum dicis, domum aut murem, audis i post u in eadẽ syllaba. Aut quum gallus sonat famam aut fructum. Verum hæc persequi non est huius instituti, præsertim quũ nationes quędam nihil omnino sonent absq; diphthongo. Ex his autem quę retulimus satis est intelligi, & diphthongos posse sonari, & olim sonari solitas. LEO. Quę res abiecit eas? VRS. Nihil aliud, opinor, quàm loquendi deliciæ. Nam mulierculę quondam elegans habebant, semicluso ore, vixq; motis labijs sonare verba, sic vt vix audiretur exitus. Diphthongi vero ferè torquent os, multumq; resonant. quod nunc habetur indecorum, & vt rusticanum ridetur, inde primum apparet exortas diphthongos improprie dictas, deinde paulatim idem in alijs nonnullis ausę sunt illiteratorum deliciæ. LEO. Non leuis incommoditas si quid cui dictes scribendum, aut si quis ex alterius recitatione suum emendet codicem. VRS. Maxima. quinam sciet is qui excipit, quum audit vulgato more sonari ἶνος, an scribere debeat οἶνος, ὖνος, οἶνος, ἦνος, aut εἶνος. L. Nequaq̃ nisi sit eruditus. V. At non semper nobis cum eruditis res est, & quędam voces huiusmodi sunt, vt doctus etiam possit hæsitare, velut in ὑμῶν & ἡμῶν, quod si ὑμῶν sones, per u gallicum aut propemodum, et ἡμῶν per a Scoticum. Nam bene habent aliqui hoc est, per e diductius, sublatus est error. Habes de diphthongis. Iam longarũ breuiumq; syllabarũ discrimen,

geut.
uijs.
ruyt.
ruyt.

magna ex parte sublatum est, & in græcorum & latinorum pronũtiatione, quũ olim plebes imperita explos͡erit atq; exsibilarit histrionem, qui paululum se mouisset extra numerum, aut si versus pronuntiatus esset vna syllaba breuiore aut longiore, quod à Cicerone literis proditũ sciũt omnes, qui literas sciunt. Ex quo colligitur, & recitatorem seruasse spacia syllabarum, & illiteratam multitudinem, presertim vrbanam, aurium sensu dijudicasse. Nũc quis offenditur vel apud græcos, vel apud latinos, nisi siquid arguat accentus, quod in multis non potest, imò frequẽter accentus ducit in errorem, dum facit videri longam quę breuis est, et contrà. qui vero docti nunc discernunt an dicas planè impostori, an planè aperte, an planè affirmans, quum in prima dictione sit pyrrhichius in secunda trocheus, in tertia spõdeus? Rursus an dicas malo pro vitioso, an mãlo pro potius habeo, an malo pro arbore, siue pomo, quum in prima voce sit iãbus, in secunda trocheus in tertia spõdeus. L. Non satis assequor, quę fuerit illa ratio, saltandi ad vocem alienam. V. Audita referam, iudicij periculum penes esto. L. θάῤῥει non hic agitur apud pretorem. V. Scis quosdam dictos Mimos inter quos celeberrimi fuere, Publius & Laberius. L. Scio. V. Hi simul & recitatoris & histrionis officio fungebantur, pronuntiantes versus sibi cognomines, hoc est mimi mimos, et ad propriam vocem gesticulantes. Erat aliud histrionũ genus, qui muta gesticulatione repręsentabant poetarum longas fabulas, sic vt spectator intelligeret argumentum saltationis. quo de genere diligẽter tradidit Lucianus. Rursus erat recitatorum genus omnium honoratissimum, qui sua recitabant populo sine ge-

De quãtitate syllabarum.

sticulatione corporis, nisi quantum oratori conceditur, vocem, oculos, vultum, & corporis motum sententijs accommodare, sic Virgilius, sic Oratius, sic Plinius sua recitabant populo, sic et Philemon suam ipsius fabulam populo recitasse legitur, quum nemo saltaret. LEO. quatenus isthuc oratori conceditur? V. Si vino lapsantem ac balbutientem narres, indecorum fuerit eam rem corporis gestu referre, aut si mulieris, pueri, senis, Germani, Galli, Britanni verba referas, ridiculum fuerit ipsa pronuntiatione mulierem, puerum, senem, germanum, gallum, aut Britannum exprimere? LEO. Iucundum quidem esset. VR. At non protinus bono viro decorum est, quod delectat. Plato & Fabius concedunt, vt modice vox loquentis ad ea quæ narrantur accommodetur, veluti si recites ex historia, lugentem, minitantem, blandientem, lasciuientem, satis est aliquã rei similitudinem apparere in oratione. At fit interdum, vt aliquid loco additum ex vocis aut gestus alieni faceta imitatiõe gratiam habeat. Postremum genus est, quum vnus recitat fabulam, & ad huius vocem histriones personati, gestus attemperant. Huius generis erat Roscius, quem accepimus cum M. Tullio decertasse, vtrum ille sępius verbis alijs eandem efferret sententiam an ipse sępius variatis gestibus repręsentaret. L. Vnde colligis hoc fuisse genus histrionum? V. Primum ex ipsis Terentianis fabulis, in quarum calce recitator dicit, valete & plaudite, Calliopius recensui. Si singulę personę suas voces promunt quis est locus Calliopio? L. Dicis nonnihil. V. Accipe grauius argumentum. Ex Hecyræ prologo liquet eum qui pręfatur solere fabulas emere, easq; recitaturum edisce-

re. Alioqui si singuli suam portionem sonabant, quur vnus hæc præfatur? Rursus qui præfatur in ἑαυτὸν τιμωρούμενον, queritur non haberi rationem suę senectu tis, ad quem deferrentur fabulę turbulentæ. Nam nunc, inquit, nouas qui scribunt, nihil parcunt seni. Si qua laboriosa est, ad me curritur. Si lenis est, ad alium defertur gregem. Quod si quis contendit hæc ab eo dici, qui suo periculo fabulam emere ac proferre, quiq; pręcipuas fabulæ partes agere soleret, non inficior & illud fabularum fuisse genus, quo singuli personati sua verba sonabant apposite gesticulantes. Quod accepi refero. Nunc ad id quod intermissum est redeo. Quum audis, legi, qui scis an prior longa sit, an breuis? Rursus quum audis θεοφίλω, non'ne latinus credat penultimam productam, nimirum accentu latino deceptus? LEO. Prorsus. VRS. Accentus igitur incertus est index spacij syllabici, præsertim in latinis polysyllabis. LEO. Est igitur alia ratio dignoscendi? VRS. Erat olim sine controuersia, nunc ea prope in totum obsoleuit. L. quod aliquando fuit, potest instaurari. VRS. Sunt quidam adeo crassi, vt nō distinguant accentum à quantitate, quum sit longe diuersa ratio. Aliud est enim acutum, aliud diu tinnire, sicut aliud intendi, aliud extendi, quanquam nihil vetat eandem syllabam & acutum habere tonum, & productum tempus, velut in vidi, & legi, præteritis. At eruditos noui, qui quum pronuntiarent illud ἀνέχου καὶ ἀπέχου, mediam syllabam, quoniam tonum habet acutum, quantum possent producerent, quum sit natura breuis, vel breuissima potius. Et ferè qui gręca legunt, accentus obseruatione confundunt spacium moræ, sic

enuntiantes μενέλαος, quasi penultima sit breuis, & μενέδημος quasi duę postremę sint breues, quemadmodum in θεόδωρο, παράκλητος, εἴδωλα, alijsq́; innumeris. Nec ita multis contingit sonare gręca, vt accentum simul & morarum rationem obseruent vel in carmine. Loquor autem non iam de vulgo sed de eruditissimis quoque. Minus est erroris in latinis, sed tamen illic quoque tonus acutus ac inflexus obscurat cęterarum sonum, vt videbimus congruit accentus cum quantitate, at in legebamus, sola penultima videtur esse producta, quum secunda sit ęque longa, in amauerimus sola antepenultima, quum ea sit breuis, secunda producta. LEO. *Omnino sic obtinuit vsus, quem dediscere difficillimum est.* VRS. *Atqui degustarunt musicam, nullo negocio distinguunt inter longam, breuem, & inter acutum & grauem. Nihil enim est aliud pronuntiatio, quàm modulatio quædam vocum numerosa. Est enim & in oratione soluta pedum ratio licet non perinde certis astricta legibus vt in carmine, quæ si confundatur. non magis erit oratio quàm cantio cantio, in qua graues cum acutis, longę cum breuibus temere confunduntur. Vnde quidam priscorum grammaticorum non inscite dixerunt accentum esse animam dictionis. Et tamen hodie talis est etiam eruditorum pronuntiatio, qualis esset illa ridicula cantio. Scis opinor canere cithara.* LEO. *Vtcunque.* VRS. *Non ne frequẽter imam chordam pulsans producis sonos, et summam tangens breuibus insonas aut contra?* LEO. *Frequenter, quanquam hoc discrimen euidentius est in flatili musica.* VRS. *Vnde igitur nos sumus vsqueadeo ἄμουσοι, vt omnes acutas syllabas sonemus productio*

re mora, graues omnes corripiamus? Vel ab asinis licebat hoc discrimen discere, qui rudentes corripiunt acutum uocem, imam producunt. L E O. *Idem propemodum facit cuculus.* V R S. *Quatuor enim rationibus curatum est à priscis, ut omnes syllabæ, quantum licet, clarius audiantur, ne qua suffugiat aures, aspiratione, tono, productione & diphthongo. Clarius enim auditur prima in hero, quàm in ero. Et magis auditur li in ligo, quàm in intelligo. Et sonantior est prior in* μῶνος *quàm in* μόνος. *Itidem ămā uerĭmus, sonantior esse deberet ma secunda, quàm a, prima, vt in ama sit iambus, uerimus tribrachus, nisi quod prima trium acuitur, & ob hoc sonantior, quasi musicus per breuem longam & tres breues sonet, re re fa re re, ămā uerimus. In hac dictione sonantiores sunt secunda, quia producta, & proxima tono acuto, licet breuis. Quoniam autem uocales principes sunt sonorum, diphthongum audibiliorem faciunt duę res, gemina vocalis, & productio moræ. Sonantior enim est prima in audio, quàm in adeo & udus, in* οἶνος *quàm in* ὄνος *&* ἴδω. *Horum si nihil obseruatur, quid est oratio, nisi incompositus vocum strepitus? Iam intensio vocis & productio percipi nõ potest, nisi ex aliarum comparatione. Potest enim eadem esse breuis & longa, grauis & acuta, si ad alias atq; alias comparetur, veluti uox pueri grauis, acutior est uoce uiri acuta, & syllaba breuis sic pronuntiantis ut Cartusiani pronuntiant psalmos festis diebus, productior est longa, volubili lingua pronuntiantis, quemadmodum sacrifici quidam expediunt preces sollennes, dum ad alia quæ magis sunt cordi festi-*

nam. L. Intelligo. V. Quin & idem inter dicendum nunc lentius pronunciat, nunc celerius, nunc demissius, nunc clarius, utcunque sermonis ratio postularit. Nam & oratores in exordijs, in quibus oportet sedatam esse dictionem, longiore mora pronuntiant syllabas, quàm in affectibus vbi iam incaluit oratio. Atque adeo in hac oratione, Primum optimam spem de se præbebat, sobrius, quietus, placidus erga socios, obseruans & officiosus erga maiores, mox in diuersum versus, cœpit amare, potare, rapere, prodigere turpiter omnia, prior pars lentius sonatur quàm posterior. L. Fit idem à musicis. V. E proximis igitur petenda est & tonorum et morarum differentia. L. quę ratio est breuis ad longam? V. Dupla, vt aiunt grammatici, uerum in dicendo nõ est necesse tam exacte rationem obseruare, veluti fit in concentu musico, aut veluti si quis saltet ad citharam. Sat est si longa, sensibili mora distinguatur à breui. Nam fieri potest vt vna longa respondeat duabus breuibus, aut amplius, rursus vt respondeat vni breui & dimidio. Iam sunt dictiones duriores, quæ plus spacij postulant quàm aliæ, prçsertim monosyllabę. Diutius enim sonat, stant tristes quàm stant acies, non solum ob consonantes in eandem syllabam coeuntes, verum etiam ob sequentem syllabã, quę excipit difficiliorem Item plus morę desiderat prima instructus, quàm prima in legero, quum vtraque sit longa. L. Liberasti me magno scrupulo. V. Imò qui exactius super hisce rebus conscripsere, docent in quibus syllabis sufficiat vnicum tempus, in quibus unum semis, in quibus duo semis, in quibus tria. LEO. Audio nouam musicam. VRS. Haud tamen absurdum est, quod

adferrunt,

adserunt. Si vocalis, inquiunt, natura breuis est, et sequitur vnica consonans, eaq; simplex, vnicum tempus obtinebit, vt caput, λόγος. R*ursus vbi vocalem natura breuem muta cum liquida sequens, aut alioqui geminata, reddit ancipitem, tempus erit vnum semis, ut lachryma, recludo, cygnus.* Atl*as* τέκνον, πέμμεσσα, ἀναμνίσκω, *quod à quibusdam obseruatur etiam in diuersis dictionibus vt,* Tribul*aq;* tr*ahęq;*. I*tem,* T*errasq; tractusq; maris. Sed potissimum si tres sint consonantes, aut prior sit s, habeat'ue inclusam, vt pręmia scribe, a produci potenit, nec aliter produci volunt quidam quàm elisione s; & littora* X*erxes, quia sequitur duplex.* I*am quæ natura vel positu longæ sunt harum duo sunt tempora, vt dos, mors.* R*ursum si vocali natura longæ adhærat vnica consonans in eadem syllaba, in his tribuũt moræ tempora duo semis, hoc est, duo breuia, & semibreue, vt sol. Porrò tria tempora volunt esse, quum vocalem natura longam duę consonantes sequuntur, aut vna duplex,* vt mons, rex. H*uiusmodi multa referebant ex autore* P*risciano cuius authoritas si cui parum grauis est, habet simile quiddam quintilianus* libro *nono, tractans de compositione.* T*estatur enim non omnes breues ac productas esse pares, sed esse breues, breuiores ac breuissimas, contrà longas, longiores, ac longissimas, exempli gratia producit versiculum* M*aronis ex* T*ityro,* A*grestem tenui musam meditaris auena. quanquam hic nostri codices habent* S*iluestrem pro* A*grestem, verum id nihil ad rem, in* A*grestem duæ primæ syllabæ natura breues sunt, & tamen gre, secunda, facit priorem longam.* D*at igitur, inquit, aliquid ex suo tempore.*

Quomodo dat ni habet plus quàm quæ breuissima, qualis ipsa esset detractis consonantibus : nunc vnum tempus accommodat priori, & vnum accipit à sequenti, ita duæ natura breues positione sunt temporum quatuor. Concursus igitur mutæ & liquidæ in gre, tardiorem redderet syllabæ pronuntiationem, etiam si nulla consonans sequeretur, nunc quia sequitur st, duplicatur tarditas, vel triplicatur potius, cuius portionem transfert in primam natura breuem, tametsi Priscianus non tribueret primę duo tempora, sed tempus vnum semis, nec secundę tribueret amplius, nisi ob vocalé vtrinque cinctam gemina consonante. Verum hæc minutiora sunt, potuisset enim omnibus breuibus geminum tempus assignari, si placuisset senatui populoque Grammatico, ita nihil opus fuisset temporis unius sectione. Aliquanto post Fabius non inficiatus à scriptoribus traditum, finalem breuem pro longa accipi, aures tamen, inquit, consulens meas intelligo multum referre, vtrum ne longa sit quæ cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere, incipientem timere, quàm illud, ausus est confiteri. Atqui si nihil refert, breuis an longa sit vltima, idem pes erit. Verum nescio quomodo sedebit hoc illud subsistet. Quo moti quidam, longæ vltimæ tria tempora dederunt, vt illud tempus quod breuis ex longa accipit, huic quoque accederet. Nec solum, inquit, refert quis cludat, sed quis antecedat. Vides Quintilianum sensisse discrimen inter longam & longiorem, breuem & breuiorem etiam in finali commatis clausula, quanto magis id sensurus in cursu perpetuo vocum, aut in media dictione. Quod si veterum literæ nullum indicassent discri-

men, tamen ipse naturalis aurium sensus non sineret aliter iudicare. Quis enim non omnino stupidis auribus non intelligat, κυ minus habere difficultatis in κύων quàm in κύκλωψ, quum vtraque sit breuis, rursus tardiorem esse sonum in κλωψ quàm in ων, quum vtraque sit natura longa, sed illi moram addunt, quibus cingitur, consonantes à fronte duæ, à tergo duplex, huic additum ν, non difficultatem addit, sed iucunditatem. Præterea quis non sentit ων facilioris esse soni, quum dico, κύων ἐρᾷ, quàm quum dico κύων ϝέχει. Item tardius sonare κλωψ, quum dico κύκλωψ στρατηγεῖ, quàm κύκλωψ ὁρᾷ. In κύων ἐρᾷ sex sunt tempora, in κύων ϝέχει sex semis. In κύκλωψ ὁρᾷ, septem tempora, in κύκλωψ στρατηγεῖ, nouem semis, vt κλωψ, syllabæ dimidium temporis accedat ob moram, quàm adfert consonantium collisio. LEO. Haud procliue sit ista discernere. VRSVS. Nihil facilius. Atque adeo miror hoc homini musico videri, qui noris quomodo vox, quàm hodie maximam vocant, diuidant in longam. Rursus quomodo longas in breues, breues in semibreues, semibreues in minimas, & has insuper secant in plusquam minimas, tum non ignores quomodo proportionibus, quas illi modos hodie vocant, varie producant aut accelerent pronuntiationem nunc ad rationem duplam, nunc ad triplam. Quanquam hac subtilitate nihil est opus. Res fuerit euidens, si, iuxta musicos, breuem seces in semibreuem, ita in caput prima erit breuis, in lachryma, breuis cum semibreui, in da & fle, duæ breues, in sol, duæ breues & semibreuis in stirps

& rex, tres breues. LEO. Intelligo. VRS. Verum hanc exquisitam varietatem negat obseruari in carmine pronuntiando, sed in oratione prosa nihil uetat. At ego multo minus arbitror obseruari posse in multorum concentu præsertim imperitorum. Hic enim, ni fallor, natum est, quod chorus Ecclesiasticus nec in Psalmis recitandis, nec in canticis solennibus, vllum habet breuium aut longarum delectum, ne tonorum quidem admodum magnam rationem, sed omnes pari temporis mora sonant, ne dum alius aliud sonat, inæqualitas vocum pariat indecoram confusionem. Et in cantu, si quando vocibus imparibus vtuntur, inæqualitatem eam non ex natura syllabarum, sed ex suo arbitratu metiuntur. Quanquam hoc genus cantionis non recipiunt, qui religionis sunt austerioris, sed spondeis pronuntiant oĩa. Non dubito tamen, quin Ambrosius suos hymnos obseruatis syllabarum modulis canendos instituerit, eamq; consuetudinem arbitror valuisse, donec crassior literarum inscitia, et inconditus vocum tumultus compulit ad hanc inęqualitatem ęqualitatem confugere. quin audiui concionatores ex hoc genere, qui pro pluris habeantur à populo, nouũ aliquid ac prodigiosum commiriscuntur, eodem tono, pari mora pronuntiantes syllabas omnes paribus etiam interuallis. quasi singulę syllabę singulas absoluerent dictiones, magna quidē admiratione plebis imperitę, sed ęque magno tum risu tum tedio doctorum hominum. Hoc enim, vere est, quod ait Cicero, latrare non loqui. Verum vt ad institutum nostra recurrat oratio, quemadmodum in productione syllabarum plurimum habet momenti facilitas aut difficultas literarum unde

conflátur, ita neq; quicquam vetat, quo minus in eodem sermone nunc citatior, nunc lentior sit pronuntiatio, modo in cursu verborum, quàm græci συνέπειαν appellant, inter uicinas proportio discernat moras temporum, ita in modulandi tonis non est eadem ac perpetua ratio, vt omnes acutas sones ijsdem chordis, seu graues, aut circunflexas, licet enim pro sensuum & affectuum varietate, nunc intensiore, nunc depressiore, linguę sono vti, ex proxime pręcedentibus ac proxime sequentibus distinguere vocis modulationem sat erit. Non enim semper pari spacio vox acuta vltra grauem intenditur, sed vtcunq; commodum est, aut vt sermonis natura postulabit remissior aut ardentior. Interdum enim ad semitonum, interdum ad tonum, nónunquam ad ditonum, aliàs ad τὴν διὰ τεσσάρων, aut διὰ πέντε tollitur. Quidam etiam altius, & vltra τὴν διὰ πασῶν. sed iam indecore, nec citra speciem insaniæ, quæ hoc est euidentior, quo id faciunt crebrius, maxime quum sensus nullam uocis mutationem postulet. Tota hæc modulandi ratio intra heptachordi modos consistit. Rursus in depressione vocis eadem est ratio, nec anxie seruandum est, vt omnes, quemadmodum dixi, syllabæ eodem tenore, velut eadem sonentur chorda, præter eam quæ acuitur, quod genus si dicas legeramus, abominanda, horrenda, non referenda, prima legeramus potest sonari in nete (fingamus enim hanc esse, quæ grauissimam ædit vocem) secunda in paranetæ, tertia in paramese, quarta rursus in paranete. Rursum in abominanda, primæ duæ sonari possunt in paramese, tertia in mese, quarta in parypate, quinta in mese. Item horrenda, prima sonari potest in

lichano, secunda in hypate, tertia in parypate. Denique, non referenda, primam sones licebit in paramese, proximam in paranete, antepenultimam in nete, penultimam in paramese, vltimam in nete. LEO. *Hic desidero meā citharam. Sed age dic quo pacto discernitur acutus tonus à circunflexo?* VRS. *Duplici nota, productione tempori & intensione vocis, vt lentiore, ita remissiore. Non huc accersam musicorum subtilitates, qui distinguunt totum ac semitonum, diuidūt per apotomas, dieses, commata, schismata, & diaschismata. Nobis ad hanc rem sufficit discrimen toni, semitonij, si vis & ditoni. Sit igitur hoc discrimen inter acutum & inflexum quod inter tonum et semitonium, aut si hoc videtur obscurius, quod inter tonum & ditonum. Et hoc discrimen Latini prorsus negligunt, quum quoties penultimam natura lōgam excipit ultima breuis, in priore loco sit circūflexus accentus, non acutus. Vídi, primam habet acutam, vidit, primam habet circunflexam, illud perinde sonat, quasi dicas fa re (nan docendi gratia, crassius est loquendum) hoc quasi dicas fa mi, aut si syllabam, cui tonus additur conferas cum pręcedente, acutus perinde sonabit, quasi dicas re mi, perfecto tono, circunflexus, quasi dicas mi fa, quia semitonium est. quod si cuius aures sunt ebetiores quàm vt hanc sentiant differentiam, sit acutus fa vt aut vt fa, circunflexus fa re, aut re fa, prout syllabam intendendam cum pręcedenti aut sequenti conferes. Hęc quum discreuerint veteres & vsu & pręceptis, an non piaculum est nos hoc discrimen in totum negligere? quis enim nunc discernit pronuntians inter has, crèta, mùsa, Ròma, mèta, vèna, nominandi vocandi'ue casu, & cré-*

ta, mú sa, et Ró ma, mé ta, ué na, auferendi casu! L. Certe nemo. V. Rursus Inter lùctus recto casu, & lú ctus paterno casu! Atqui in prioribus est trocheus, & prior syllaba tonum habet circumflexum, ob vltimam breué, in altera prior habet acutum, propter sequentem productam. L. Audiui veteribus vltimam semp habitam pro ancipiti. VRS. Verum vltimam carminis, non cuiuslibet dictionis, & quod veniæ datur in carmine, fortasse dabitur & in oculis, aut periodis, tametsi ne illic quidem, nisi vt pro breui sones lógam, non contrà. In synepia vero nequaq̃ idem licuerit. Et quanq̃ euidẽtius breuis ac longę discrimen est, vocalem excipiente consonante, vt frùctus & frú ctus, aut post docebimus, tamen apud veteres finalis vocalis nulla sequente consonante manifesto discrimine signabatur. Id esse verũ liquet ex Diomede grammatico, qui docet o in fine verborum sole reproduci grecorum exemplo, qui vt λέγω dicunt & πύπτω, ita illi dí co & cé do, Post, inquit, vsus in tantum obtinuit, vocalem hanc haberi pro ancipiti, vt ridiculus esset qui non corriperet. At unde deprehendebat hoc irrisor ille, si tum pronuntiabant vt nos pronuntiamus hodie? Nimirũ ex accentu, & mora temporis, prę sertim in cursu. Qui producebat, dicebat dí co tibi, Iam duę dictiones habebant sex tempora & syllaba prior in vtraq; tantum habebat acutum. Qui corripiebat, ita sonabat, dico tí bi, & eędem dictiones non habebant nisi quinq; tempora. Itidem si dicas, amo pecuniam, facile dignoscent aures an sones iambos duos & pyrrhichiũ, an tribachum & dactylum. L E O. Monitus sentio. VRSVS. Nunc aliam accipe fabulam, quę rem eam

dem doceat Quintilianus libro duodecimo narrat rusticum quendam testem interrogatum an nosset Amphionem, negasse. At cuius intererat illum nosse hominem, quum esset minime stultus, suspicatus est id quod erat rusticum, hominem quidem nosse, sed non agnoscere vocem parum rustice pronuntiatam. Itaque veluti de altero percontans, rogauit an nosset Ampĭonem, videlicet aspiratione sublata, & secunda syllaba breuiata, protinus agnouit Ampĭonem, qui Amphíonem non nouerat. Hic accentus quoniam anteit penultimam, non indicat discrimen quātitatis syllabicę, quum enim penultima sit breuis, in antecedenti tonus fit oportet, siue corripiatur illa siue porrigatur. Vnde igitur rusticus ille discernebat à longa breuem? Nec enim refert ad dignoscendi facultatem, quod apud rusticos vitiose corripiebatur. Sic esse pronuntiādum existimabat, hoc mihi satis est, quod aurium iudicio secreuit breuem à longa. Vnde inquam? Non accentus, vt modo dicebam, sed mora temporis. Quum enim vrbane pronuntiaret Amphíonē, Ionicus erat ἀπὸ μείζονος, hoc est, spondeus cum pyrrhichio, quum Amphionem more rusticorum, trocheus erat cum pyrrhichio. Suetonius indicat Neronem Cęsarem mortuo Claudio stultitiam exprobare solitum, vnius vocalis productione. Quoties enim incideret, vt diceret, illū esse mortuum, ita loquebatur, Desijt inter viuos morari, porrecta prima syllaba. Quis autem erat hic loco iocus, si quemadmodum nūc loquimur, ita tum quoque nullum longę breuisque discrimen sentiebant auditorum aures? Num hęc tibi videntur satis aperta. L. non habeo quod contradicam. VRSVS. Accipe quod his omni-

bus euidentius est. Tot authores apud grçcos scriptores de numeris orationis conscripserunt, inter quos sunt Aristoteles, ac Theophrastus, si rhethores contemnimus, et apud Latinos, prçsertim M. Tullius et Quintilianus. At oratio numerosa, quibus rebus constat? L. Pedibus opinor. V. Recte, nam ijsdem pedibus constat oratio soluta quibus carmen, nisi quod non çque certis legibus inter se iunguntur. At pedes unde constant? L. Ex breuium ac longarum syllabarum inter se connexione. V. Rursus qua re discrepat à breui longa? L. Porrectiore mora pronunciandi. V. Si tum confundebatur longarum ac breuium discrimen, quemadmodum hodie facimus, quorsum attinebat celebres & graues viros tot voluminibus prçcipere de numerosa dictione? Ac Romç quidem, quoniam Democratia, propter senatus authoritatem temperata erat Aristocratia, multa apud populum, nonnulla etiam in senatu agebantur. Athenis autem quod esset Democratia pura, omnia agebantur apud populum. Quod si plebes imperita non discernebat longas à breuibus, quorsum opus erat Demosthenem, olei simul & somni iactura hac solicitudine discruciari? Sin indocta multitudo bene modulatis delectabatur, rursus male compositis offendebatur, qua fronte nos nobis loqui videmur, qui prçter accentus nullum in syllabis discrimē facimus atque hic ipse accentus frequēter in causa est, vt pro breui sonemus longam. Frustra tam operose praecipitur, qui pedes congruant initijs & clausulis, incisorum, membrorum, & peridorum, si nostri arbitrij est pro breuibus longas, pro longis sonare breues. Quur in medijs vitabant immodicam syllabarum celeritatem, quae sic offendebat au-

res, vt puerilium crepitaculorum strepitus, unde Aristo-
teles eiusmodi compositionē chordacem appellat, si vbi-
cunq; tonus est, licet sonare productam ? vt mulier, fa-
ciat dactylum non tribrachum, & temeritas faciat
dijambum, non pæonem quartum, qui constat pyrrhi-
chio & iambo. Animula misera perijt, si pronunties vt
oportet, offenduntur aures eruditæ concursu breuium,
quasi tu τὴν χόρδακα saltanti canas, aut τὴν ξεταυολό.
At nos hic sonamus dijambum in animula, duos dacty-
los in misera perijt. Quur quibusdam visum est durius,
quod Marcus Tullius in clausula posuerit, balneatori
& archipiratæ Demosthenes, πᾶσι καὶ πάσαις, qui fi-
nis est iambici Scazontis, constans ex Trocheo & Mo-
losso; si nobis licet, balneatori, tribracho & spondeo, ar-
chipiratę dactylo & spondeo sonare. Rursus quur lau-
datur hæc eiusdem compositio, ijsdem in armis fui,
quod, in, armis fui, spondeus iambo præponitur, aut
quod ijsdem in armis fui, sint duo cretici; si nobis li-
cet, vt ferè facimus sonare dactylum, & dichoreum,
in ijsdēm ĭn, & ārmĭs, fŭī ? Siquidem tono decepti,
priorem in fui, producimus. Aut qua ratione probatur
illa Ciceronis clausula, criminis causa, quia spondeum
præcedit creticus, si nobis permittimus creticum verte-
re in dactylum, quod improbatur ab artis scriptoribus?
Idem dicere possum de clausula Ciceronis, verum etiā
nota, in qua spondeus succedit anapæsto si nobis libe-
rum est pro anapæsto sonare dactylum, vt ferè nunc
vulgo sonant etiam docti. Quur illa Ciceronis clausu-
la doctis olim visa est felix, patris dictum sapiens, te-
meritas filij comprobauit, quod vltima dictio dichoreū

absoluat, si tum liberum erat pro dichoreo sonare paeonem tertium, hoc est pyrrhichium ac trocheum. Sed, exemplorum plus satis. Vides quantam syluam ad ferre queam, sed haec declarandae rei abunde, ni fallor, suffitiunt. LEO. *Mihi sanè supersunt etiam. Caeterum nunc aures ista non dijudicant.* VRS. *Quid causae, nisi quod aures habemus asininas? quibus non placet lusciniae cantio modulatissima. Et tamen istae aures musarum doctis plus quàm asininae, in saltationibus ineptis, in ebrijs cantionibus sentiunt longae, breuis, acutae, demissae, mediaeq; vocis discrimen.* LEO. *Sic est, vbi intenderis animum, ibi valet. Si haec sunt vera quae narras, vt sunt prosecto verissima, nullus hoc tempore sonat Latine.* VRS. *Adde, ne Graece quidem, vtcunque nobis placemus.* LEO. *Multi quaerunt in vocibus Gręcis, quas vsurpatione, suis iuris fecerunt Latini quae ratio accentuum sit obseruanda.* VRS. *Isthuc expedire perfacile est. Si vox deflexa est ad normam Latinę declinationis, seruetur accentus Latini regula. Id praeterquā quod iustius est, etiam commodius est.* LEO. *Quàm ob rem?* VRS. *quia apud Latinos perpetua ratio est, Graeci variant, eò quod Latini ferè spectant penultimam in polysyllabis, in disyllabis tonus propè semper est in priore, nec aliunde aliò migrat, quemadmodum apud Gręcos.* LEO. *Exemplo rem feceris dilucidiorem.* VRSVS. *Quidam malunt dicere grammatice, grammatices, grammaticen Gręco more, quàm Latino. Atqui Latine si dicas, tonus semper erit in ea quę tertia est ab vltima, alioqui grammatica, vltimam habebit acutam, grammatices patre*

nus casus, & grammaticae datiuus circunflexam, rursus o grammatica acutam, quanquam in septimo casu cogeris esse latinus. Item q Timotheus dicit latine, semper acuit antepenultimam, & hactenus conuenit cum graecis quoties vltima corripitur. Caeterum quoties vltima sit longa, tonus migrat iuxta graecos in penultimam vt Timothei. Timotheo in Timotheum remigrat in locum suum. LE. Expeditius itaque dicemus sophia prima acuta, & philosophia antepenultima acuta? V. Sic opinor. Nam quod Christiani quidam tantum tribuerunt accentui graeco, vt in metro quoque syllabam natura longam corripuerint, velut in idola, & paraclitus, ecclesia & si qua sunt alia, condonandū arbitror pietati potius quàm imitandum. LEO. Explana, quaeso, crassius, quo
Voit sono discernatur natura longa vocalis à breui. V R S.
voijt. Id ne putes rem nouam, dilucide patet in linguis uulga
voin ribus, quae & sono & scriptura discernunt longā à bre
voijn. ui, longam aut geminata vocali scribētes, aut addita vo
vles cali vertentes in diphthōgum Dic Batauicae album, sen
vlees. tis vnicum i, dic latum sentis geminum, quum tamen di
Best ctio sit monosyllaba. Audis apud machinas quibus one
Beest. ra tolluntur è nauibus, quoties iubent uolui rotam, sim
Lest plex i, quoties vinum postulant, geminum. Rursum dic
Leest. Batauicae lagenam audis vnicum e, dic Flandricae car
Vel nem, audis geminum. Idem discrimen in optimo, & be
Veel. stia, vltimo & forma calcearia. Dic Batauicae pellem,
Put audis vnicum e, dic multum Brabanticae, audis duo. Itē
Vut. Batauicae puteum, audis u simplex, dic extra, audis ge
Bret minum, nisi mauis hic esse peculiarem diphthongum.
Breet. Item dic Angelicae panem, audis e breue, dic Batau

Vet Veet. Rat Raet. Gat Gaet. bat baet.

œ latam, audis ee geminum. Dic obesum batauicæ, audis e breue, dic simultatem, audis porrectum. Dic Batauicæ rotam, audis a breue. Dic consilium, audis diphthongum æ. Idem fit in foramine, & vadite in balneo, & lucro. L E O. *Iam mihi succurrunt istius generis exempla innumera.* VR. *Quo magis mirum est nos hæc omnia confundere seu græce seu latine loquentes. ἀνὴρ uox natura longa excepta prima litera, quid aliud sonat hodie quàm apud latinos vir? quę natura breuis est. Item πῦρ, nos sequuti gręcos male pronuntiamus; quum germani vocem eã à gręcis sumptam recte sonent, nisi quod tenuem vertunt in aspiratam.* Batau*i in u consonans, πᾶς. nos male sonamus galli recte, quum humile dicunt aut passum.* L E O. Sic *est profecto.* V R S. *Iam in θὴρ, quod ipsum ad nos fluxit à græcis,* Batau*ica lingua dum sonat dier, θ r utato in δ declarat quid sonuerit apud græcos θὴρ /.d hæc quid aliud sonat syllaba mus in animante lo ga, quàm in dictione mimus breuis?* LEO. Nihil *prorsus.* VRS. *Atqui discrimen docet* Bat*auus sonans animantis vocabulum, in quo audis geminum u, si sones simplex, nullus quid velis intelliget latine nesciens.* Tã*tum est discriminis in mora syllabę, quod nos, perinde ac si nullius sit momenti, planè negligimus.* Nihil *enim aliud sonat nobis hodie las in puellas, quàm in* Pall*as, es in res, quàm in verbo es, lis in facilis, quàm in lis, unde litis, or in ἕκτωρ, quàm in vincor, lus in nullus quàm in palus & salus.* At*que item de cęteris, nec vllo modo dubitandum quin ueteres distinxerint manifesto vocis discrimine.* Ne *quis autem existimet hoc vsqueadeo barbaricum esse, de quo loqui,*

mur, pręter alio Grammaticos & Quintilianus ipsę prodidit, latinos vsq; ad Accij poetę tempora & vltra, vocalem productam, per eandem geminatam notare solitos, veluti si scribas, vaanus pro vanus, turbaas pro turbas, rees pro res, liis pro lis, doos pro dos, saluus gemina vocali pro salus. Si nullum erat discrimen, unde priscis tanta huius rei cura? Nunc vero quid interest inter priorem syllabam in mala adiectiuo, & mala substantiuo quod illis erat maala? Inter finalem is, huius verbi legis, & finalem audis, quod illi scribebant audiis? Inter legi à legor, & legi à lego, quod illis erat leegi? Inter viuis verbum & viuij nomen, quod illi viuijs, inter δῷς gręcum verbum, & dos dotis, quod illi doos? Inter ultimam, manus genitiui, et ultimam uulnus? L. Deũ immortalem, q̃tum à recta pronuntiatione degenerauimus. V. In gręcis propè grauius etiam arbitratum est. Quis. n. distinguit inter τύπτομαι indicatiuum, et τύπτωμαι subiunctiuum? Aut quis inter ας in κλίνειας et ας in λαμπάς, inter καλός nomen, & καλῶς aduerbium, inter κύριος & κυρίως, si tonum tollas, quum ipsum ω ex duobus o pusillis conflatum admonere nos debuerit & productionis & soni? Quod si nihil aliud sonabant o quàm ω, quid sibi vult quod grammatici tantopere prædicant ω, veluti grandius quiddam resonans è specu oris? Quid autem facilius quàm eandem uocalem duplicatam, non ictu vocis, sed productione sonare? Id facillime percipiet, qui primum pro vna sonarit duas, quẽadmodum solent nó absoluti musici, quo certius canant ad ictum manus, longam diducunt in duas breues, rursus eadem mora, perpetuo sono pronũtiant eandem lon

gam, animo tantum imaginantes geminũ vocis ictum. Simili ratione periti complures breues, aut etiam longas continuo sono pronuntiant, nec errant in moris, animo supputantes interualla, nõ voce. Sic apud latinos ex tibycen factum est tibicen. Igitur vt recte sones legi præteritum à lego, primum fac vocem trisyllabam, & dic leegi prima acuta, deinde pari mora, sed voce continua legi, vt hęc vox quatuor temporibus extendatur, quum légi à legor constet tribus. Vt recte sones lege à lex, dic leege, mox inflexa priore, lege, vt dictio constet tribus temporibus, quum lege verbum constet duobus. Itẽ dic lucturus trisyllabũs, mox luctũs extẽto u. dic má a la mox mãla, quum arboris fructum indicas. L. *Tu quidem crassissime doces.* V. *Nimirum crassis tradenda. Itidem qui volet assuescere pronuntiandis diphthõgis, primum diuidat, deinde contrahat in eandem uocem, primum sonet musaē, deinde musæ, primũ foēnum, mox foenum, primum audio tetrasyllabum, mox audio trisyllabum, primum euge trisyllabũ mox euge disyllabum, sic vt vtranque vocalem liceat agnoscere, q̃uis sono confuso. Idem in diphthongis gręcis, vt πάϊς παῖς, δημοσθενέϊ δημοσθένει, οἴνος οἶνος, μούσα. per u gallicum, μοῦσα. Similis in græcis productis est exercitatio. Primum dic αἰνέϊαας, mox conflato sono in longam αἰνείας. Item η, diuide in duo ee ore diductiore, aut in duo a, Scotica, & dic γραμματικέες, mox perpetua voce grammatiκῆς, memor prioris soni, vt κῆς id sonet quod apud gallos sonat, sed apud Zelandus caseus.* Meys kees *Similiter μυύς per u gallicum, deinde μῦς. Item καλοὸς, mox καλῶς.* LEO. *Video facillime discerni uocalem longam*

vocata prima est. An non hic duplici nota discernit φ ab f? primum quod in f, labium inferius apprimitur superioribus dentibus, deinde quod spiritu leniore profertur, veluti studio vitandi græcam aspirationem, quæ in φ, cuius sono labijs vtrisq; diductis spiritus vehementior erumpit. Et haud scio an probabile sit percontatorem illum qui ex Amphione sustulit aspirationem de quo supra meminimus, ex Amphione fecerit Amfione, quemadmodum alter ille græcus ex Fundano fecit φundanum: quę si vera sunt, triplici varietate destincta sunt ph, f, & u consonans. LEO. Qua ratione possunt auribus discerni? VRS. In ph, magis stringuntur labia, prius quàm erumpat spiritus, is erumpit vehementior labijs ac dentibus latius diductis, in f lenius, dentibus pene coëuntibus, & inferiore vt dictum est labro superioribus dentibus affixo, vt inter hæc litera, velut efflетur, in u consonante, multo etiam mollius effertur aspiratio, quàm vel in φ, vel in f, idq; diductis & labijs, & dentibus in exitu vocis. Nunc auribus obserua sonos, et oculis os meum intuere. Dico pha, fa, va. Rursum phama, facio, vado. LEO. Papę manifestum video discrimen. VRS. Superest scrupulus, quid Aeolibus sonuerit digamma, tum autem an hodie recte sonemus u, consonās. Primum vbi iacio sonamus conflatis primis vocalibus, pręter ia nihil audimus in sono noui. At quum idem facimus in uadit, velo, viuo, volo, vulnus, aliud quiddam sentiunt aures. Sona iă, duabus syllabis. LE. Ia. VR. Contrahe. LEO. Iá. VRS. Fac idem in uă, LEO. Vă VRS. Contrahe simili modo. LEO. Sentio sonum primæ syllabæ in nostratibus verbis, quum dicimus, vigi-

vvacté
vveect
vvyn
vvonen
vvit
vvyt.
vraghē
vvracté
vvrin-
ghen
vet
veet
vveet
vvet

lare, molle, vinum, & habitare. VRS. Vna igitur nobis deest, si recta est horum temporum pronuntiatio. LEO. Dic clarius. VRS. Inter ph & f, nonnihil interesse in confesso est. LEO. Est. VRS. Inter fuero & u consonans multum interesse res ipsa loquitur. LEO. Vt nos quidem sonamus. VRS. Atqui quum Batauus sonat, album, aut latum, aliud audis vi, quàm quum Latine dicis, vide, rursus aliud quum Batauus dicat percontari, aliud quum vlcisci, aut stringere. LEO. Recte. Verum id scribunt per geminum VV. VR. Nimirum differentiae causa. Nam & illis est u consonans eo sono quo latine loquentes efferimus, veluti cum dicunt, pinguem, aut, simultatem. Contrà quum dicunt, scito, aut legam. Alioqui quae vocalis duplicatur initio dictionis, nisi mutet naturam? Nunc accipe et illud argumentum. LEO. Hic sum. VRS. quum grammatici diligenter indicent affinitatem literarum inter ipsas, veluti quum pro i, ponitur u, vt in optumus, pro aspiratione f, vt in fordeo pro hordeo, pro s, t, vt in mertare & pultare, pro, u, o, vt in dicont pro dicunt, ac similibus innumeris, nusquā mentionem faciunt affinitatis inter f & u consonans, tanta est soni vicinitas, vt si paulo lenius sones f, fiat u, si paulo, pressioribus labris u, fiat f. LEO. Non leue per musas, argumentum. VRS. Ad haec apud Aulum Gellium li. xiiij. cap. v. grāmaticus ubi praescripsisset legem ꝑ quā nomina desinentia in us, si proxime antecederet i, vocandi casum inflecteret in i, non in e, vt egregius egregi, quemadmodum Virgilius Virgili, diuus, riuus & diuus & huius generis alia hoc lemmate excepit à regula quoniam non simpliciter desinerent in us, quemadmo-

dum Virgilius, ſed in eam quę per duplex u ſcribitur, ad cuius literę ſonum declarandum repertum eſſet digā ma Aeolicum. Quod ſi id tum ſonabat, uus in riuus et cliuus quod hodie nobis nihilo magis erat opus exceptio ne in riuus q̃ in Rufus, quum eſſet manifeſtus conſonan tis ſonus ante u poſterius. LEO. *Perſuades alium fuiſſe ſonum. Quid igitur cenſes?* V R S. *Cenſeor eſſe non auſim, at diuino veteribus propemodū ſonuiſſe f, quod grecas ſonant φ, & quod hodie f, ſonat Phryſonibus, ſonant enim eſperius quàm nos qui & u, conſonans pro pemodum ſonant uti nos f, veluti quum dicunt, muſcam volare, metuere, quę nos per u conſonans ſonamus leneus porrò u conſonans ſonuiſſe quod apud Aeoles & Clau dium Cęſarem digamma. Id deusq; propemodum ſo nuiſſe quod apud nos hodie ſonat uu geminum. Nam quod in vulgate pronuntiatione, u conſonans ſonamus aliquanto lenius quàm f, apparet ex iiſdem delicijs or, tum, quæ ἔμπορος ſonant emboros, & pro βίνει, vi ni.* L E O. *quibus indicijs iſthuc colligis.* V R S. *Ex ijs quæ iam commemoraui, tum ex linguæ noſtratis ve ſtigijs, quàm conſtat Greco Romanoq; ſermone permi xtam eſſe. Innumera ſunt locorum vocabula à vico di cta, vt cum dicimus, comitis vicum, paſtorum vicum, fontium vicum, in quibus ultima ſcribitur per u duplex, unde colligeret licet quid olim ſonuerit Latinis u conſo nans in vicus, vanus, & riuus.* LEO. *Veriſimillimum eſt quod narras.* V R S. *Item quum vulgata lingua nomina vinum, deprehendis quid in vino ſonuerit pri ma ſyllaba. Idem arbitror eſſe quum dicimus violentiā, quanquam corruptis, vt ſolet literis aliquot. Ruſus*

vlieeh *vlieghen* *vreſen* *Cont.* *vvyct* *harder* *vvyct.* *Bruyns* *vvyct.* *Ghe.* *vvelt* *vvaten.*

quum pro vacare dicamus vigilare, & quum sonamus ventum & ventosum. Similiter quum apud nos velut euanescit u, illi scribunt per geminum vv, vt quum di cunt graue, iurare, vexare, fatuum, duos. Nã apud nos si pluribus literis additur, quàm apud Latinos. Contrà quum apud Latinos habetur f, Physones & Angli qui dam vertunt in f, nos in u consonans, vt hodie sonant Latini, velut in fluere, fluctu, pisce & similibus innu meris. Nam in pisce, & similibus innumeris. Nam in pisce & hinc deriuatis p, tenue mutauimus in ph, pro qua scribebant f, nos rursus f, vertimus, in u, consonās, vt nunc quidem profertur. LEO. Certa narras, mira ta men, & haud scio an omnibus credenda. VRS. Hinc est quod Germani spirantiores, Latine loquẽtes confun dunt interdum has literas, u consonans & f, quum effe runt conuidit pro confidit, & fideo pro video. Nec mi rum videri debet, si quod tradidimus non est perpetuo verũ, sed fallit in quibusdam dictionibus, quum nõ igno res quanta sit sermonis vulgo crediti volubilitas & in constantia. LEO. Cętera facile corrigerentur, nimirum aut aliquo discrimine sonemus f, in filius, & ph, in phi lippus. Cęterum illud durum, si quis pro vanus sonet vvanus, aut pro riuus, rivvs, atq; item in cęteris, quę p u consonans efferuntur. VRS. Nec est necesse, vt prorsus exprimamus vulgatam Germanorum pronuntiatio nem, satis est si paulo longius recedamus à sono f, et ali quanto proprius accedamus ad sonum u, vocalis. Nam inter f, & u consonans fuisse dissonantiam euidentio rem quàm nunc est & illud arguit, quo nusq̃ altera in alterius vicem succedit, quod tamen in cęteris fit passim

vvin
vvin.
dich
Svvaer
Svverc
Svvelc
Svvaes
Vloyen
Vloet
Visch.

inter quas vel tenuis intercedit cognatio, velut in βούλομαι *& volo, rursum, in eo quo veteres, teste fabio, pro hoedo dicebant foedus, pro hordeo fordeum. Verum non occurrit vbi uel f. mutarint in u consonans; uel u consonans in f.* L E O. Nondum animum omnibus *scrupulis liberasti. Veteres qui meminerunt de digamma Aeolico, veluti Quintilianus, Priscianus, Aulus gellius, & ni fallor, Victorinus, exempla proferunt, in quibus u antecedit seipsam, ut in vulgus & seruus, riuus & diuus. Quod si litera Aeolica non alibi locum habet, quid sonabit u, in vanus. Venus, uino, & uolo?* V R S. *Et in his eundem sonum iudicat epigramma, quod Ioannes* Tortellius, *uir suo seculo magnus,* Romæ *sibi uisum fuisse testatur, in quo bis fixit, scriptum erat pro uixit.* L E O. *Nil miror, fortasse Germanus quispiam aut phryso posuit, quasi nos romæ non deprehenderim in huiuscemodi monumentis insignes sclœcismos.* V R S. *Atqui non sic elaberis, ò bone, Terentiani uersus audi.*

Vt uade, ueni, uota refer, teneto vultum,
Creuisse sonum perspicis & coisse crasium,
Vnde Aeolijs litera fingitur digammos.
quæ de numero sit magis una consonantum,
Vocalis in istum mage quàm uersa sit usum.

Audis hic in exemplis ua, ue, uu? quo minus autem posuerit, ui, metrum obstitit quæ dicere potrat, uideto uultum, atque in his u mauult esse nouam literam Aeolicam quàm ex uocali mutatam. L E O. *Nódum exemisti scrupulum. Pre. A. Gellio & quintiliano contemnere possem Terentianum & quod ait de digammo, potest ad*

vltimum exemplum pertinere, videlicet vultum. Nam epigramma nihil me mouet. Aul. Gelij sententiam retuli. Quintiliani verba subtexam. Nostri, inquit, præceptores, ceruon seruonq; u & o literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in vnum sonum coalescere & confundi nequiret, nunc uu gemina scribuntur, ea ratione quàm reddidi, neutro sanè modo vox quàm sentimus efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam Ⅎ ad hos vsus literam adiecerat. Ex his Quintiliani dictis perspicuum est, fuisse quendam sonum quem nec φ reddet græcum, nec f Latinum, nec u consonans. Rursus constat u consonans aliud sonuisse in vado, uenio, uideo & volo, quàm in riuus aut seruus, & hunc sonum Latinis literis notari non potuisse, eoq; peregrinam literam à vicinis Aeolibus mutuo sumptam, quàm δίγαμμον appellant, quæ ne videretur eadem cum f Latina inuersa est Ⅎ. Ea loco vtriusq; u, ponebatur in serⅎs, nec aliàs videtur habuisse locum. Nos autem nihil discernimus u, consonantem, siue præcedat u, siue alias vocales, etiamsi hoc discrimen Quintilianus significat fuisse per quàm tenue, sentimus, inquiens, & tamen erat aliquod, cuius gratia Romanus Imperator putarit literam aliunde accersendam. VRS. Sic vrges, quasi meditatus ad hoc certamen accesserit. Cogimur itaq; quartum addere sonum, phu, fu, uo, vu, vt ph in phuga spiritum obtineat Græcanicum f in fundo flatum Batinum, u in volo crassius quiddã quàm f, u, in seruus longius absit à sono f, quàm u, in seruos, ac propemodum sonet, quod apud Barbaros & olim sonabat u geminatum, qua de re satis, opinor, ante dissertum. LEO. An

satis non liques. Nam Victorinus tradit Aeolicum digamma eandem esse literam quam Hebræi *dicunt* Vau, *eamq; respondere nostræ u, consonanti, sed libet quod in scholasticis disputationibus solenne est dicere, acquiesco, quo reliqua peragas.* V R S. De g, *igitur dictum est, inter illius cognatas*. De *h, propemodum conuenit inter grammaticos, è literarum catalogo iure submouendam esse, nihiloq; iustius videri vt inter literas numeretur, quàm si apud græcos spiritus ton'ue nota in literarum ordinem accerseretur, quum interim, inuitis grammaticorum centurijs propè dixerim regnet in medijs literis, præposita vocalibus lenius sonans, rarius enim postponitur in aliquot barbaris & interiectionibus, veluti in ah, vah, ch, & proh, non sine rixa tamen grammaticorum, cauillantium id per apocopen fieri, quum integræ voces fuerint, aha, vaha, ohe, & & probe, alijs dicentibus nihilo magis præcipi posse, quomodo scribendæ sint interiectiones, quàm præscribi potest alienis affectibus, quorum illæ sunt notæ, consonantibus vero postposita vehementius sonat.* Postponitur *autem c, t, p. Semper autem ρ apud Græcos, si consonans hæc sit vocis initium, rursus in medio geminatis ῤῥ, additur posteriori, vt in choris, thymum, phyllis, & rhetor, & catarrhus*. Nec raro *medijs vocalibus interscritur, quo sonus sit vegetior* Siquidem Au. Gellius *citat peruetustos codices, quos existimabant fuisse* Maronis *αὐτογράφους, in quibus ait se vidisse versum hunc ex secundo* Aeneidos *libro*. Exultat *telis, et luce coruscus aëna. ita fuisse scriptum, vt superne inter a & e, h, litera fuerit annotata, ahena*. Similiter

in illo uersu, Aut folijs undam tepidi dispumat aëna. quod idem in nihil & mihi factitatum, iam prius admonuimus. Adeo uero non est superuacanea, ut Aeolum exemplo Latini quoque huius uice subijciant f, dicentes, ut modo dictum est, pro hordeo fordeum, & pro hœdus fœdus Latini in græcis usurpandis non raro uertant in s, quum pro ὗς dicant sus, pro ὑπέρβιος superbus, pro ἕρπω serpo, pro ἑπτὰ septem pro ἕξ sex. LE. Mirum istos adeo contempsisse spiritum, quum uideamus & arbores diffringi, & tecta subuerti, & mare intumescere, et terremotus cieri spiritu. Verum illud adde, quomodo promendus hic flatus? VRS. Quid ni superne? LEO. Non hinc ambigo, quanquam & ructus superne erumpit, Sed quibus & quomodo temperatis organis? VR. Id in arteria, musculis & faucibus situm est, tam morigeris, ut animo nonnunquam aliud agenti tamen obsequatur, Puer uirilem uocem ędere non potest, sicut nec mulier, nimirum ob angustiam transitus. At uir constrictis musculis, quum libet, uocem ędit puerilem. Et alioqui contractis aut dilatatis faucibus & arteria pro suo arbitratu, magis exilem aut grandiorē emittit. Nec igitur summis labris ędendus est flatus, qualem solent, qui pultem plus æquo feruentem refrigerant, nec ab umbilico ducendus, ut solent Germani quidam, tantum efflantes uenti, quantum molæ farinariæ circumagendæ sit satis, sed moderate proferendus è faucibus, neque fatigandus pulmo, uelut in spiritosis, ac labore anhelis. Sunt enim in quos illud e satyra possis dicere, Tunc immensa caui spirant mendacia folles. Et sunt rursus qui moleste ferant sibi inhalari spiritum alienum, qui

nonnunquam obolet allium, cepas, aut salsamenta, aut polypum, vt absit scabiei contagiosæ, aut pestilentiæ, alteriusue morbi periculum, quũ nullus sit facilior quàm perhalitum transitus. LEO. *Vnde mihi videtur immo destiç causa natum, quod quidam loe presso loquuntur, quæ res apud Gallos mulierculis versa est in iocum oris pusilli.* VRS. *Ab eadē modestia natum arbitror, quod olim oculis semiclusis inuicem intuebantur. Id indicant picturæ nostrates ante annos ferè centum æditæ, tali forma nobis exhibentes, si quos intelligis volunt ab improbitate vehementer alienos.* L E O. *Emoriar, nisi isthuc in picturis mediocris antiquitatis sæpenumero miratus sum.* V R S. *Verum vt hoc ineptum sit, tamen est in oris & oculorum diductu quædam decora mediocritas. Me puero sese sic stringebant mulierculæ, vt insectas diceres. Ea res quum esset inepta, videbatur cum primis elegans, simulq; quod erat consequens, verecundum habebatur quàm minimum cibi capere. Ad id enim confert medij corporis strictura. At è diuerso parum decorum est mulierem discinctam videri, Virtus est medium vitiorum vtrinq; redactum. Idem obseruandum in diducendo rictu, in dilatandis faucibus, in promendo spiritu. Peccant qui nihil aspirant, peccant qui aspirant omnia, peccant qui lenius quàm sat est, peccant qui plus satis, sed grauissime peccant qui præpostere id faciunt. Nec quiuis flatus est aspiratio litteraria. Concitatus, anhelus, aut qui procul semotis loquitur, vt solent nautæ rusticiq; maiore spiritu loquuntur, quàm qui cum proximis confabulatur. Verum hoc nihil ad grammaticum. Alioqui nullius literæ sonus*

absque spiritu promitur. De spiritu satis videmur nugati. Addamus his, si videtur, reliquas semiuocales l, m, n & r, inter quas ρ Dionysius γενναιότατην appellat, quum sit asperioris soni. Nam *linguæ fastigio in palatum superius vibrato tremulis ictibus fragorem reddit, qualem audimus in lapide magno impetu perpulso funda, aut iaculo balista excusso, aut baculo virga' ue celeri motu per aërem acto. Vnde in dictionibus quibus celeritatem, impetum, aut asperitatem significant cupimus, hanc literam admiscemus, veluti* grecis *in* ῥεῖν, ῥιπὴ, κρούω, χειμάῤῥους, τρέχω, τραχὺς, τρόμος, βρέμω, Lati*nis in rapio, ruo, roto, fulgur, tonitru, torrens, ructus, horror, fremo, frendo, strido.* L E O. *Ita'ne voces ad rerum quas significant, similitudinem effictæ sunt?* Arbitrabar *fortuito natas, aut certe pro arbitratu instituentium repertas.* V R S V S. I*mò referunt ipsis elementis ipsoque sono quod significant, verum nihil est necesse rem totam, vt est, voce representari, satis est aliquam similitudinem apparere, quę si non appareat, tamen aliquid causæ subest, cur huic rei vocabulum hoc sit impositum.* Bell*um, apud nos omnis gratia blandavoce sonatur, quemadmodum apud* Gręcos F*urię dicuntur* Eumenides. I*ta qui lenitatem, aut lenitudinem declarant, amant l, ut* grecis λεῖος λίχειν, Latinis, *lentus,* labi, *lenis* lubricus. *Quę vero magnitudinem, m, qua nulla spacio maior litera, gaudent, vt* grecis μέγας, μακρός, *apud* Latinus, *magnus, mons, moles.* L. *Quur igitur leonem dicimus potiusque reonem?* V R S. V*el ominis causa, vel quia in longum porrectum est animal nullius proteritatis.* L E O. *Si vera narras, oportebat cuiuslibet*

rei in quauis lingua idem esse nomen. VRS. Nihil est necesse. Quum enim sufficiat qualiscunque rei repraesentatio, potest eadem alijs atque alijs modis effingi; veluti quum graece dicis χαίνω, Latine hio, Batauice chape, in singulis sentis expressam oris diductionem. LEO. At quur μακρὸν & μικρὸν, quum diuersa significent, eandem habent consonantem? VRS. Affinitas inter contraria poscebat, sed per a, quod ample sonat, & i, quod exiliter notatur discrimen. Ad haec quoniam eiusdem rei multae sunt qualitates, satis est si ab vna quapiam harum sumatur vocabulum, nec absurdum sit, si res eadem lingua pluribus vocabulis signetur. Verum satius est vt hanc disputationem in aliud tempus reijciamus, vel quia vix habet exitum argutatio, vel quia ad id quod instituimus nihil habet momenti. Alias dabitur ocium si libebit. LEO. Tuo arbitratu, sed absolue quod orsus es. VRS. De l, dicam, itaque si linguam valide tendas in eam palati partem quę dentibus superis est proxima, moxq; diducas os, erumpit blandus ille tinnitus, sonantior tamen in medio ac fine quàm in initio dictionis, vt sol, mel, volo, lego, nisi quum finit syllabam, vt soluo, saluus. M, vero compressis inter se labijs, mugitum quendam intra oris specum attractis naribus ędit, sonantissima in medio duplicata, vt mamma, in fine prorsus obmutescens unde μύσειν dicuntur gręcis, & latine mussare, qui tacite loquuntur; nec audent vocem claram ędere. Hinc & mutum dixerunt latini. Superest n, quae ad palati conuexum inhaerente lingua, gemino naris & oris spiritu vocem explicat, maxime tinniens in medio geminata, & in fine di-

ctionis, aut syllabæ, vt in manna, mandragora & nomen. Vnde & anniendi verbum Latinis, elementi vocem exprimens, fortassis & ganniendi. Docet autem Fabius, olim diu fuisse rarum semiuocales duplicare, vt in alijs, lallare, Tullius, manna, sanna & curro, & probabile est veteres sic fuisse loquutos vt scribebant. Nam eam rationem quintilianus indicat optimam, vt ita scribantur dictiones, quemadmodum sonantur. Contrà vocales, vt dixi, productas geminabant. L E O. *Isto pacto* Gallos video posse defendi, *qui palium dicunt pro pallio, mama, pro mamma, sana, pro sanna, anum pro anno, panum pro panno torens pro torrens. quanquam hoc nō in liquidis tantum faciunt.* Ex *concursu quarum libet consonantium aliquam elidunt, aut certe obscurant dum capa dicunt pro cappa, lipus pro lippus, batus pro battus.* V R S. Ridiculum *sit nunc in nostram pronuntiationem asciscere, quæ* Ciceronis *etiam ætate erāt obsoleta.* Nec *minus tamen peccant, licet diuerso vitio, qui pro simplicibus sonant geminatas, comma pro coma, commedo pro comedo, comminus pro cominus, collo pro colo, bonnus pro bonus, curro pro curo, rippa pro ripa, pro pene penne, pro anus annus, camellus pro camelo, mustella pro mustela, suadella pro suadela.* Si *vetustas patrocinatur errori, antiquum est & hæc ita sonari. Etenim ni fuisset hic error* Victrinus *non rixaretur cum suis discipulis, quod in his dictionibus consonantem perperam geminarent. quanquā idem autor indicat, consonantem duplicandam* Sicilica *notula signari solere. quæ cuiusmodi fuerit, nec mihi satis liquet, nec refert quum is scribendi mos iam olim exo-*

leuerit. Nihil, opinor, superest, præter y, qua latini non vtuntur, nisi in gręcis dictionibus. Sonum illius fuisse medium inter i & u, Gallico more pronunciatum iam indicauimus. Vnde non defuerunt, quorum est Victorinus, qui y literam nobis necessariam iudicarunt, in gyla, mysera, proxymus, optymus, Sylla, pro quibus nos gula, misera, proximus, optimus, & Sulla sonamus, quanquam Sylla est vsitatius. L E. Vtinam libeat & illud addere, quod solent literarum doctores. V R S. Quid nam? L E O. Vt exemplo proposito pręceptiones, velut in speculo nobis ostendas, exigasq; num satis vel intellexerim, vel meminerim quæ tam multa disseruisti. V R S. Nihil grauabor, verum id lingua fieri non potest, nec est unde petamus calamum, atramentum, & chartas. L E O. Imitabimur veteres pastores, qui teneris arborem corticibus inscribebant suos amores, spina, opinor, vtentes pro stylo. V R S. Non committemus vt cuiquam in nos damni dati sit actio. Est mihi vagina recens, ac versuum aliquot capax, & stylus adest, quanquã non in hunc vsum paratus. L E O. Vtinam sic abuterentur omnes suis armis. V R S. En scribo. O'ptĭmă quę˜ qȝ aí'ēs mĭ''sĕris mo'rtā˜libus ęui. Prĭma fu''git, sú beūnt mòr˜boi tri˜stisq; sène'cīūs.

Et la'bor, & dirę ra'pit inclēme'ntia mo'rtis. Nunc audi pronunciãtem, oculis in vaginam defixis, auribus ad vocem attentis. LEO. Adsum, sona. V R S. Vides & audis in primam longam & acutam. L. Natura ne, an positu? V. Id loco nihil refert, quando quidem tonus est in antepenultima. L. Recte. V. In secunda syllaba ti, au

disti ne sonum medium inter i, & u Gallicum, quem admodum in hieri? LEO. *Planè.* VRS. *Tertiam vides breuem, addita veluti semicirculi nota, sursum por rectis cornibus, ne putetur auferendi casus.* LEO. *Video, sed quur media non habet notam?* VRS. *Quoniam accentus arguit illam esse breuem, Latinis duntaxat.* LEO. *Quur in quęq; prior habet circunflexum?* V. *quoniam natura longa est, nimirũ diphthongus, & syllaba sequitur natura breuis.* LEO. *Quin hic addis notam productionis?* VRS. *quoniam tonus ipse demonstrat esse porrectam, qui nisi in longis non habent locũ, idq; vel in fine, vel in proxima finali. Eadem de causa, ꝙ, nullam habet notam, quoniam inflexus accentus in eadem dictione non antecedit nisi natura breuem.* LE. *Sed pręstat vt tu me percontеris.* VRS. *Agam, si lubet, grãmaticum, tu discipuli personam sustine.* LEO. *Hoc sanè malebam.* VRS. *Dies quur priorem acuit?* L. *quia sequitur natura longa.* VRS. *Adde, & pręcedit breuis. Quoties enim vltima natura longa est, non refert qualis syllaba pręcedat, secus esset si; prior esset longa, non positione, sed natura. Nunc sona mihi posteriorem syllabam, es.* LEO. *Dies.* VRS. *Probe, quasi sit geminum ee, & sono gallico. Atqui vulgus non discernit æs in eo unde est ęris, in dies & fames, ab es à sum. quur in miseris prima acuitur?* LEO. *quia penultima natura breuis est, eoq; notam non habet.* VRS. *Rursum sona mihi miseris.* LEO. *Miseris.* VRS. *Sentis ne te hic bis peccasse?* LEO. *Qui?* VRS. *Primum se, non oportebat aliud sonare inter duas vocales, quàm sonat in sedere.* LEO. *Exciderat.* VRS.

Deinde ris, *sonandum erat veluti duplicato ij quemad modum sonas batauice glaciem.* Nunc denuo *sona*. L E. *Miseris.* VRS. *Pulchre. Sequitur mortalibus.* In *mor*, *quàm vides notam?* LEO. *Breuis, & eius notulę dimidium.* VRS. *Quid sibi vult?* LEO. *Quia syllaba mor, positu longa est, non natura.* VRS. *Vnde id doces?* LEO. *In promptu est, quum dicimus emori.* VRSVS. *Quid in tam?* LEO. *Virgulam iacentem, quę doceat natura longam. Quur pręterea nihil?* LEO. *Quoniam syllaba non desinit in consonantem, eoq; non habet nisi duo tempora.* VRS. *Li, quur nullam habet notam?* LEO. *Quoniã accentus pręcedens, indicat esse breuem,* VRS. *Quid si dicas mortalis?* LEO. *Circunflectam tũ, natura longam, sequente bus natura breui.* VRS. *quomodo sonas bus?* LEO. Non u *Vuesphalico, sed &* Gallico, *nisi quod non itidem porrigo labra, neq; profero sonum.* VRS. *Docilem agis discipulum. Aeui, quur priorem non circunflectit, sed acuit?* LEO. *Quoniam sequitur vltima natura longa.* VRS. *Quid si positus tantum esset longa?* LEO. *Circunflecteretur.* VRS. *Da exemplum.* LEO. *Vt si dicas æuum.* VRS. *Hic natura breuis est posterior, vt in Sorex, Sõrex. Pri˜ma, quur inflectit tonum?* L. *Quoniam natura longe sequentem habet natura breuem.* V. *quid si dicas, prima luce?* L. *acuam primam, et mã addam virgulam, primam.* VRS. *quanq̃ et superuacuum ęq; atq; in breui, sed fugit, quur acuit priorem?* L. *quoniam breuis natura breuem pręcedit.* V. *Quid si dicas fugit heri?* L. *Inflectam fu.* V. *quur.* L. *quoniã natura longa proximã habet natura breuẽ.* V. *quur prior in morbi, caret*

nota breuis. LEO. Quia producitur. VRS. Quin igitur addita est nota porrectę, sed breuis & semis. LEO. Quia positu longa est, non natura. VRS. quur prior acutum habet potiusquam in flexum? LEO. Quia & ipsa positu longa est, & sequitur natura longa. V. Vnde scis esse positu longam? LEO. quia deduci videtur à moriendi verbo. VRS. quid sibi vult diphthongus in posteriore? LEO. Vt discernatur à genitiuo singulari. VR. Tristisq́;, quur priorem habet circumflexam? L. Quoniam natura longa est. VR. verum, sed sequitur longa. L. Positu, non natura. VR. Vnde tonus alter? L. Ex què coniunctione, quæ proximam è graui facit acutum, quod idem faciunt ne, & ue. VRS. Senéctūs, vides longe aliud sonare vltimam quàm in mortalibus. L. Quid ni videam? Hic Gallos imitor excepto tono. V. Et, Quur nullum habet accentum? LE. Opinor quod ut coniunctiuncula adhæret illi quod connectit, quod idem accidit in nonnullis prępositionibus, quę sic annectuntur suis casibus, quasi sit vnica dictio, vt inarmis, inbello, exędibus. Item in dissyllabis, vt superomnia, prętęromnes, antediem. Nam in vetustis codicibus etiam scriptura coniungit hęc. VRS. Commodus es discipulus qui vicissim & doces. Quid si làbor inflexisses? L. Iam ex nomine fecissem verbum. V. Dírai, quur acuit priorem? L. Quia longa natura præcedit longam. V. qui fit igitur vt Gręci circumflectant, μοῦσαι? L. quia αι, & οι in fine dictionis pro breuibus habentur, duntaxat quod ad accentus rationem attinet. Ea lex non est apud Latinos. VR. Quur igitur non scribunt μοῦσαις inflexe? LEO. Obstat addita consonans,

sonans. VR. *quur in dirai pro æ scriptum est ai?* L. *Vt distingueres genitiuũ à nominatiuo plurali.* V. *Quum mortis longam habeat ante breuem, quur non inflectitur priori.* LEO. *quia positu longa est, non natura.* VRS. *Vnde id coniectas?* LEO. *Quoniam à græco* μόρος, *& inde mori, vt ante dictum est.* VRS. *Nunc rursus si libet ausculta me sonantem hos versus.*

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui,
Prima fugit, subeunt morbi tristisq; senectus,
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

LEO. *Auscultaui non oscitanter.* VRS. *Primum, animaduertis'ne quasdam productas sonare tono acuto, vt æui, quasdam inflexo, velut in prĩma & trĩstis.* LEO. *Sensi discrimen.* VRS. *Deinde breues aliquot acuto tono, vt di'es, mi'seris, fu'git, la'bor, rapit.* LEO. *Qua in re peccant Latini quum Græca pronuntiant?* VRS. *Nec illud te fugit, me aliquanto productius sonuisse natura quàm positu longas.* LEO. *Sensi, verum admonuisti, subtile discrimen hoc non seruari in metris, quæ suis currunt legibus.* VRS. *in quæq; sensisti elidi u, licet non penitus.* LEO. *Sensi & hoc.* VRS. *Iam in æui, duo sensisti, & diphthongi uestigium, & sonum Aeolicæ literæ.* LEO. *Sensi tenue quoddam.* VRS. *In primu fu'git, arbitror animaduertisse te discrimen inter inflexũ tonum & acutum.* LEO. *Non hic tantum.* VRS. *quin in, subeunt, non te latuit, opinor, aliud sonare u, quàm in mortalibus et senectus.* LEO. *Videbar audire* ου *diphthongum.* VRS. *Itidem audis in sunt, legunt, audiunt. Euidentius erit discrimen, si tollas liquidam, & sunt vertas in sutor, & eunt in vter.* LEO. *Papæ, quantum*

intereſt. V. Verum hoc vt ante dictum eſt fortaſſis excuſabit vetuſtas quæ in huiusmodi ont pro unt ſolet ſcribere, legont, cupiont. Rurſus in optima, deprehendiſti o ſe moueri à pt. Sic efferunt Itali, nec liquet quàm ob cauſam, quum ſint duæ mutę. Et incertum an ab opto deducta vox ſit, nec ſatis conſtat natura ne producatur prima an poſitu. L. quid igitur? V. In eis in quibus nec ipſa uocalis, nec diphthongus, nec cognatio dictionum diſſoluit ambiguitatem pro natura longis habemus, quemadmodum in trīſtis. L. Pergratum feceris Vrſe, ſi gręcum diſtichum tantum, ad eundem modum excuſſeris. V. Eſt diſticho locus en tibi carmen Heſiodi,

Αἰδὼς δ᾽οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.

Αἰδὼς ἥτ᾽ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ᾽ὀνίνησι.

Nunc oculis obſerua ſcripturam, vocem auribus. LEO. Iſtic ſum.

Αἰδὼς δ᾽οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.

Αἰδὼς ἥτ᾽ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ᾽ὀνίνησι. L.

Nouum pronuntiandi genus. V. An nō alium audis ſonum in αι quàm in κε, aut in με? L. quid ni audiam, ni ſurdus ſim? V. Audis propemodum eā vocem, quam edunt Sueui ſonantes Cęſarem ſua lingua. L. Maxime. Nec à prorſus, nec i prorſus, ſed tamen vtranq; agnoſco literā. V. Deinde in δὼς, audis δ, aliquanto ſonare craſſius quàm d, vulgo ſonant Latini. L. Planè. V. Ad hęc, in δὼς, non idem ſonat os quod in ὀδὸς. L. Audio longam ex duabus oo minutis cōflatam. V. quid in οὐκ audis? ne Gallicum u? L. Minime. V. Italicum? L. Non. V. Vueſphalicum? L. Propemodum, niſi quod o magis reſonat, vt quum nos dicimus frigidum. V. quid in θὴ?

L. θ feliciter aspiratum, & pro η propemodum a Zelandicum. V. Quur θῆ grauatur potius quàm acuitur? L. Quoniam sensus nullam ibi concedit interspirationem. Alioqui transisset grauis in acutum. V. quid in κε? L. Idem ferè sonat η quod in κομίζει, nisi quod lingua non nihil lentescere videtur ad γ. VR. Tantulum sanè dare fas est consuetudini. Nec te fugit hic κε præter naturam suam porrigi, quod à muta liquidaq; excipitur. L. Teneo. VRS. Nec ideo producis μὲ, quod habeat tonum acutum. LEO. Vtranq; corripis, μένον priore clarius sonante, posteriore summissius. VRS. Quur in ἄνδρα prior acuitur potius quàm inflectitur ᾶνδρα? L. Quoniam positu longa est, non natura. VRS. Atqui Homero est anceps. LE. Stat est alicubi corripi, vt hãc legem effugiat. Nam in ἀνὴρ à breue est. VRS. Iam in κομίζει, non'ne aliud sonat vocalis penultima, aliud diphthongus ultima? LEO. In ζει audio sonum ex ε et ι conflatum. VRS. Atqui nostro vulgo nihil distinguitur inter θι, χῆ, μι & ζει. LEO. Sic est. VRS. In altero carmine, in ἦτ' rursus audis a Scoticum, & in ὄνινσι præter η & iota quod suo vtcunq; sono dignoscitur, quum nos confundere soleamus, σι nihil aliud sonat quàm in σίνεται, aliis sonaturis ὄνινζι. LEO. Memini. VRS. Nec ideo corripio penultimum η, quod præcedat acuta breuis, quemadmodum nec in μέγα priorem porrigo, quod tono intendatur, non extendatur. L. Nihil euidentius, si quis assuescat. Iam'ne satis dissertum est, quod attinet ad rectam pronuntiationẽ. V. De rhetorica pronuntiatione non institueramus dicere, de grãmatica nõ ita multũ arbitror superesse, si iunxerimus

distinguendi rationes. Nam & in his peccat vulgatus vsus. Nec iam loquor tantum de incisis, quę commota uocant gręci, deq; membris, quę cola nominant, & de periodis, quę conclusiones aut circũacta dicas licebit, deq; notis horum si scribas, silentij modis, si pronunties, verum etiam de morulis respirationum, quæ tradi arte nõ possunt, quãdoquidem nec in illis tradendis admodum consentiunt grammatici, nec perpetuũ est, quod tradant. Nec enim semper ęquale silentiũ dirimit comma à commate, nec colon à colo. Nec quamuis periodum sequitur æque prolixa respiratio. Quoties enim articuli constant singulis verbis ἀσυνδέτως, neq; nihil, & minimum moræ debet interponi, vt, veni, vidi, vici. Sin duabus ac pluribus vocibus, plusculum interponitur moræ, vt, rem familiarem prodegit, famam prostituit, genus dehonestauit, amicos alienauit, patriam prodidit. Hic commatum cursus quidam, & congeries est. Rursus quum prius comma proponitur velut à percontante, & posterius accinitur velut à respondente, paulò longius silentium intercedet, ut, Quæ tandem spes est illum fore frugi? Num pudor corriget? Iam pridem depuduit. Amicorum consilia? Ne parentibus quidem unquam auscultauit, Aetas grandior? Ea semper addidit nequitiam. Interdum ipsa incisa habent leuem incisionem, velut in illo Musonij dicto, Si quid turpe feceris cum voluptate, voluptas abit, turditudo manet, Si quid honeste feceris cum labore, labor abit, honestas manet. Hic quanquam in vtroq; membro, post voluptate & labore est diastole, tamen post feceris, & post abit, & manet, nonnihil est respirationis, quo magis sentiatur

ἐναντίωσις. Rursus idē fit in secundo membro. Subtilius est autem quod indicat Fabius in, Arma, virumq; cano, Primam dictionem arma, per hypodiastolen separādam à sequentibus, quum vterq; casus referatur ad idem verbum cano, cęterꝫ quoniam virꝫ refertur ad sequentia, nimirꝫ hæc, Troiæ qui primus ab oris, breuissima inter spiratiuncula monendus est auditor, sic vt minimum accedat silētio, minimū decedat breui syllabę. Vnde et ὑποσυστολὴ dicitur quod breui quoq; nōnihil detrahitur. quoties.n.ex lōga fit breuis, ut, urbéq; fidenā, systolē uocant grammatici, hoc hyposystolen appellat Fabius, quæ dimidium temporis detrahit syllabę, et addit silētio. Rursus post hāc clausulam, Atq; altę mœnia Romę, quatuor aut quinq; temporꝫ spacio vocem suspendere licebit, vt velut nouo exordio subijcias, Musa mihi causas memora. Interdū & vox nonnihil imutatur, vbi particulam à sensu diuulsam inter feris, vt Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos, quod nec bene vertat, voce non nihil immutata sonatur. Obscurius est in illo, Qui malum, alij Malum enim, quoniam interiectionis uicem obtinet, leui submissione vocis distinguendum est, nec non morula, sed breuissima. Cęterꝫ in Adelphis Mitio quum dixisset, Storax, clariore voce sonuit, nimirum accersens seruum, interposito iusto silentio, reliqua mutata voce veluti secum loquitur. Verum hęc persequi non est huius instituti, & extant amores unde hęc qui volet possit petere, quod hic agimus illud est, pueros arcēdos a more quorundam, qui totum sermonem perpetua linguę volubilitate, &, vt gręci dicunt, ἀπνευστὶ pronuntiant, quod in Gallis potissimum mihi videor animaduertisse, nonnul-

lis etiam hoc ceu virtutem affectantibus. Rursus alij sin gulas penè voces longa interspiratione, aut etiam tussi gemitú ue dirimũt, nec vllum tam leuiter incisum occur rit, vbi non diutius intersilescant. Sũt autem voces quæ se nullo silentio interposito patiuntur coniungi, vt cum primis, & homo prędiues, oratio benelonga, vir malesa nus, quasi compositę sint. Rursus alię non patiuntur, ut vxor iussit suo nomine tibi salutem dicerem, vxor à ius sit, tenui discrimine separandum est, atque etiam iussit à pronomine suo, ob collisionem consonantium, suo noie, probe sibi cohęrent. At id magis faciendũ in duplicibus, duplicatis, aut concursu duplicatarum, vt syncera pax xe nia non moratur, & pons struendus, inter pax & xe nia, inter pons et struendus distinctio ferè duo requirit tempora. Et, Declarant studium in nos suum, Inter de clarant et studiũ, vix sufficit interposuisse tempus unũ. L. Deum immortalem, quàm operosa res est emendate loqui. V. Ex his conijcias licebit cętera. Nã, ut diximus innumerę sunt causę quę vel continuationem suadent, vel incisionem dictionum & partium. L. Haud prorsus alienum sit ab hoc argumento, de distinctionũ notis non nihil attingere. V. Optarim in his typographos consen tire. Nunc uarie feruntur, nec pares tamen varietati di stinguẽdę vocis. Theodorus Gaza eodem puncto distin guit triplicem pronunciationem, pfectam puncto in me dio spacij posito, impfectam in imo, mediam in summo. Verum hic vt facilis est scribarum lapsus, ita & pronuntian tium falli possunt oculi. Malim notulas variam habere figuram, vt minima interspiratiũcula, qualis est post vo candi casum interdũ, signetur puncto inflexo, ad imum

dictionis, paulo maior distinctio duobus punctis, quorum alterum ad latus additum modice flectatur deorsum, principale vero comma quod secat orationem, notetur duobus punctis, quorum superius inferiori immineat. Cęterum ubi iam non pendet constructio, sed additur aliquid sententię, punctum addatur imę dictioni. Totā periodum absolutam, signent duo puncta quorum inferius fluat deorsum, quę Gręcis nota est interrogandi. Si quid extra ordinem interijcitur quod velut ab alio interloquente dictum, submissiore uoce sonari solet, lunulis duabus dimidiatis signant quidam. Interrogationem nota grę corum inuersa signant Latini existit scrupulus, quę sit vera interrogatio. Quoties negamus p interrogationem, quidam non putant addendā notam. Multo minus quū percontandi specie dubitamus aut miramur. Hæc differentia videtur & alteram notam desiderare, quę sic fingi poßet, vnico puncto sursum inflexo. Iam si illud quoque conueniat, ut omnes ad singulas notas uocem accommodet non parum erit commoditatis uel ijs qui dictant alijs scribenda, uel ijs qui collatione, codices emendant, uel ijs denique qui publice recitant aliquid. LEO. Et breuiter & dilucide rem expedisti, nec amplius abs te requiram, si exemplum subieceris. VRS. Ausculta ergo. Si mihi charissime nepos, daretur optio, malim breuem uitam cum honestate, quàm longam cum infamia. Propterea quod nulli mortalium uita longa possit contingere, memoria uero (quę uera est hominis uita) in multa secula porrigatur. Quid uero humana uita fugacius, contrà quod seculorum milibus quorundam fama durat? LEO. Nihil pretermißum. V. Illud tamen admonem

dus es, ut cómata ita & hypodiastolas & hypostigmas posse plures in eadem periodo incidere. Nam quemad*modũ ea pars quæ pręcedit comma principale, aut etiã colon, potest habere plures minutas distinctiunculas, ita & ea quæ sequitur, omitto nunc illa notulus quæ monent syllabas ac dictiones diuidendas, quę male coniun gerentur.* LEO. *Recte, sed probas'ne quorundam, meo iudicio, morosam diligentiam, qui Gręcorum exemplo Latinis dictionibus ascribunt spiritus ac tonos, ac præter illorum exemplum, etiam porrectionis aut correptionis notas addunt, h quoq; è literarum ordine submota, huius vice notulam superscribunt aspirandę literę?* VRSVS. *Superstitiosum scribendi genus audio.* LEO. *Non defuere tamen apud Italos, qui gamis hoc inuehere moliebantur. Si pateris addam exemplum tuæ vaginæ.* VRSVS. *Vel totum occupa.* LEO. *Distichon sat erit.*

Omnĭă sūnt ōmĭnūm tĕnŭĭ pēndĕntĭă filō,
Et subĭtō cásū quę valŭére rúūnt,

quid tibi videtur? VRS. *Hic illud vetus occurrit, μηδὲν ἄγαν. Primum h, iam tot seculis receptam, quid attinet tollere? Deinde signare temporum minutias, nimis curiosum mihi videtur, tonos & productiones aut correptiones in his notare, in quibus causa quæpiam hortatur, probo.* L. *quot causas adferunt?* VRS. *Tres potissimum, distinctionem, ambiguitatem, et necessitatem. Distinctio & ambiguitas, quarum illa videtur habere locum in vnica dictione, altera in duabus, pluribus'ue, suadet addi notam mutati accentus, vt, quum dicimus, ponè ratem, vltimę tonũ addimus, vt ponè intelligatur*

esse præpositio, idem valens quod iuxta, nō imperatiuū à pono. Nam pō ne metum habet priorem circumflexū. Rursus, penè rem patriam perdidit, quum aduerbium intelligi volo posteriori tonum addo, quum membrum obscœnum, priorem inflecto, pe ne rem perdidit. De lā bor & lā bor ante dictum est. LEO. Memini. VRS. Idem licet in palàm dedit, aduerbium indicans, addo tonum in fine, si est instrumentum rusticanum, aut anuli pars, priorem inflecto. Nec eodem modo sono, quum improbum & efferatis moribus aio feræ similem, & quum eum qui non multum abest à forma alterius dico ferè similem. Ad eundem modum quantitas distinguit dictionem, cē do, unde cecí di, longam habet & acutā, cedo unde cessi, non habet quo discernetur, nisi forte tono cē do, sed ab hoc, cedo, quod pro dic interdum vsurpatur, rursus nota breuitatis discernitur. At cé cidi à cado primā habet acutum, à cedo, penultimam cecí di. Item profé cto participiū est profectò aduerbium affirmantis, & vulgo verbū est, vulgò nomen siue aduerbiū. Certo verbū, certò aduerbiū. Fá lso nomen falsò aduerbium, tametsi quidam hoc malunt circunflectere; v'na nomen vnà, ō s, unde oris, & ŏs unde ossis; & òra ab os, & ó ra verbum, é rgo coniunctio, & ergò nomen pro gratia, Illius ergò venimus, Ita distīguimus raū ce et spurce vocandi casum, & ra uce, spurce aduerbiū lé ge verbum à lège nomine, vé nimus et vènit præteritū, à venī mus, & vé nit præsenti, & diuū m à dí uū, & deùm à dé um & numū m à nú mum, genitiuos ab accusatiuis. Huius generis exempla sunt infinita. Necessitatis exemplū adferunt quū dicimus interea loci, in aduerbio trās-

ferẽtes tonũ ab antepenultima prioris dictiõis in vltimã & proximã dictioné suo tono spoliantes, vt auditor admoneatur, interé a loci, nihil aliud valere quàm interea. Nã loci, festiuitatis causa adiungitur. Huius farinę sunt maléficus, malesànus, sicut malesuàda, á dmodum, propemodum, inuicem, propediem, indies. Idem fit quoties ex præpositione & aduerbio conflatur dictio, proinde, deinde, Similiter in coniunctionibus enim'uero eté'nim siquidem quandó quidem. Nec ideo statim corripio, ue penultimam in enimuero, si nim præcedentem syllabam acuo. Alij necessitatis exemplum producunt, quum dicimus, homo probus doctusq;, vt intelligas, q, coniunctionem adhęrere proximę dictioni pręter rationem accentuum, posteriorem syllabam acuo, & si plurium syllabarum sit dictio, geminum addo tonum, vt omniumq;. Aliter enim effero, omnium quæ fecit rationem reddidit, aliter patris omniumq; cognatorum fauorem amisit. LEO. At vereor ne quis nos ebetes stupidosq; vocet, si non queamus ex ipso sensu dijudicare, in, Falso queritur genus humanum, falso aduerbium sit, an nomen, an participium. Aut in illo, Nunc scio quid sit amor, amor, nomen sit an verbum. VRS. Sit hoc sanè perspicuum mediocriter eruditis, at frequenter sic incidunt vt semidocti labantur docti nonnihil hęsitent. An non rectum fuerit illorum errorem, horum contatiunculam exiguo negocio redimere? Vulgo quantum operę perit in adiectitijs literarum flexibus & lasciuientibus lineis? quanto facilius est addere virgulam, quę vt doctis nihil officit, ita pueris et illiteratis est necessaria. Rudis enim ętatis hic negocium agimus potissimum. His quum dictamus, ab

his quum exigimus dictata, quum scripturam emendatam exposcimus tum hæc superuacanea videri non possunt. Nec tamen in his mihi probatur anxia superstitiosaq; cura, presertim vbi res agitur seria, quod nō hic tantum præcepit ille scriptorum omnium diligentissimus Quintilianus. sed eum qui bene scribere nititur, curiosum non esse, sed fuisse oportet, quemadmodum, vt ait Seneca, quedam didicisse oportet, non discere. Tum demum gratiam habet in arte negligentia, si successit immodice diligentie ita vt curam remissam sentias non omissam. Hec nimirum est illa docta negligentia, quàm Terentius mavult emulari, quàm aliorum obscuram diligentiā. L. At sunt qui putant à magnis autoribus rectissime dictum, scientiam mihi seruans, vsum sequor. &, sapiendum vt pauci, loquendum vt plures. VRS. Isthuc tum fortassis erat aliquid, quum sermonis ius adhuc penes populum erat quumq; ritu foliorum cadentium vicissim ac subnascentium noua verba gignerent, deijceretq; qua fuerant in honore vocabula pro suo arbitrio popularis vsus. Quanq̄ nec Cicero nec Quintilianus loquuti sunt vt plures, Nec enim vulgo receptus error, vsus nomē promeretur, Nūc vero nihil rei nobis est cum populo, à doctis petitur oīs loquendi ratio. LEO. A quibus tandem, & quo seculo natis? VRS. Hic tibi pro me respondet vetus Græcorum prouerbium, οὔτε πάντα, οὔτε πάντη, οὔτε παρὰ πάντων. A Cicerone nemo negat optimam loquendi exemplar peti, nec inficiari possumus eo seculo dicendi genus incorruptissimum fuisse, quo iam et horror ille nimium prisce vetustatis abesset, et nondum degenerasset Romane lingue syncæritas. Non tamen ab vno Cicerone petā

omnia, nec statim quicquid illi placuit, pro optimo duxerim, vt rissi dicere malim quàm risi, quia sic ille fertur scribere solitus, nec reijciam si quid uetustiores aut recentiores porrexere melius. LEO. Nũc quibusdam putet quicquid in libris Ciceronis non deprehenditur. Rursus alij si quam scripturam in cariosa charta, aut in saxo vetustate semeso, aut in nomismate peruetusto reperiunt eam vocant in exemplum dicendi scribendiq;. VRS. Equidem hoc hominum genus ridere soleo, non odisse. Delectant enim nos antiquitatis studio, nonnunquam & prosunt. Non permittam autem illis, vt è suis delicijs, loquendi leges nobis præscribant. Siquidem orthographię ratio nec eodem seculo fuit eadẽ apud omnes. Et tamen obsoleta loco intermixta suam habent gratiã, veluti quum citamus priscorum dicta, aut ad illa alludimus, Tum si quid desiderabitur in supellectile Romani sermonis, quo apud Ciceronem non reperiatur, haud verebor ex Catone, Varrone, Plinijs, Quintiliano, Seneca, Suetonio, Quinto Curtio, Columella, sumere mutuo. Si ab his quoq; destituor, superest græcorum sacra ancora. L. Nihil ne igitur petendum ab horum temporum consuetudine? VR. quid ni, si quid habeat recti? Vides quàm multa sumpserimus ex Gallorum, Germanorum, Britannorum, Italorum vulgari pronuntiatione Et si mihi disputandum esset in scholis publicis, ineptus essem si nihil tribuerem ibi receptæ consuetudini. Præstat enim balbutire cum balbis, quàm & rideri, nec intelligi. Attamen ita cedendum est consuetudini, vt medicus cedit morbo, paulatim alleuians, quãdo semel non potest tollere. Et nunc in scholis feruntur, quæ ante an,

nos triginta fuissent explosa. Adeo quædam facilius ela-buntur quàm expelluntur. Quis olim tulisset in templis pronuntiantem Timotheus antepenultima acuta? Aut kyrie eleeson, septem syllabis, et absq; diphthongo? Aut Christè sonantem pro Christe? Nunc probantur etiam, non modo feruntur. Cæterum illa debet esse curarum prima, ne puer græce latinè ue pronuntians, ex vulgari sermone vitia trahat, quorum minimum esse ferũt apud Romanos plurimum apud Gallos, plus satis apud Germanos, nonnihil & apud Hispanos. Anglis in ratione pronunciandi, secundum ipsos primam laudem tribuũt Itali. Sed quid risisti leo? LEO. Rugire leonum est, non ridere. Dicam tamen quæres in mentem venieˉs mihi risum excusserit. VRS. Narra te quæso, vt ipse quoq; tecum rideam. L. Dicam. Non admodum diu est, quod me forte præsente MAXIMILIANVS Cæsar, ab aliquot oratoribus salutaretur, quod ex more magis quàm ex animo nonnunquam fieri solet, quorum vnus erat gallus natione Genomanus, nomen non exprimam ne videar hominem notare cui bene volo. Is orationem ab Italo quopiam, vt arbitror, compositam, nec male latinam, adeo gallicæ pronũtiauit, ut Itali aliquot eruditis qui tum aderant, gallice non latine dicere crederetur. Nominare possim ex illis aliquot tibi non ignotos. Quũ is perorasset, non absq; incommodo. Nam in media dictione sibi exciderat, turbatus, vt conijcio, risu circunstantium, quærebatur qui ex more responderet, idq; ex tempore. Nam galli oratio præter expectationem acciderat. Protrusus est ad hoc negocij Doctor quidam aulicus. VRS. Vnde id liquebat? LEO. Pileum gestabat

suffultum candidis pellibus. Hoc *signi.* Is *hunc in modum orsus est, Cęsarea maghestas pene caudet sidere fos, & hortationem sestram lipenter audisit, aliasque tanto spiritu, tamque germanice, vt nemo vulgari lingua dicens possit magis germanice.* Hunc maior excepit risus. Sequutus *est orator* Daniæ, *quanquam is qui dicebat* videbatur *Sco us, mire referens eius gentis pronuntiationem.* Huic *opposi us est Zelādus quidam, deierasses neutrum loqui latine.* V. Quid *interea Cęsar, potuit ne tenere risum?* L. *Assueuerat huiusmodi fabulis, nec erat* vllius *linguę rudis.* Verum *hæc eo dico, quo tua dicta confirmem nihil prius curādum quàm vt puer dediscat* vitia *linguæ gentilitiæ.* Superest *vt indices quibus id rationibus quàm ocyssime & quàm feliciſſime fieri possit.* VRS. A *psittaco licet exemplum sumere.* Crebro *occinitur meditanti, ac subinde exigitur quod didicit.* Si *indocilis est, domatur ferula, reddenti quod accepit cibus pręmij loco est.* Adhibendus, *qui linguam habeat emendatam, is admonitus quomodo prææat, conantem adiuuet, feliciter reddentem collaudet, relabentem in veterem consuetudinem crebro corrigat, mensis vnus totum hoc negocium absoluet.* Profuerit *si puer sodalibus vtatur minime balbis, sed incorrupte explanateque loquentibus.* LEO. Rationem *probo, nisi quod interim periculum est, ne, quoniam per pauci sunt emendate loquentes, post cogatur quod magno sudore didicit, maiore dediscere, itaque fiet vt nec* Italis *placeat, nec suis.* V R S. *quod scholis accidit, idem eueniet omnibus cęteris, optima placebunt, si non omnibus, certe quàmplurimis.* Et *tamen non improbarim, si cui tanta naturę dexteritas obti-*

git, vt quemadmodum Polypus colorem ad loci subiecti speciem, ita rhetor vocem ad auditorum aures pro tempore accommodet. L E O. *Quibus rebus fiet, ut contingat emendata pronuntiandi celeritas, præsertim in græcis quæ ferè grandiores hodie discimus?* V R S V S. *quid asſequutus ſim neſcio, quid quomodo conatus ſim aperiam. Quur enim quicquam arcam celem talem amicum?* L E O. *Muto dixeris.* V R S. *Vt tamen aurito. Poſteaquam literas, syllabas, ac dictiones græcas ſatis eram meditatus, ad parandam in offenſam celeritatem his artibus vtebar. Adiunxi me quibusdam, quos exiſtimabam caſtigatiſſime ſonare, finxi ne codicum duorum collatione uelle caſtigare librū, perſuaſi id vtriusq; fore commodo, quum in hoc, vt vtriusq; codex ex alterius comparatione fieret emaculatior, quemadmodum manus manum fricat, tum ad eruditionem. Sic autem conuenit, vt alterius vicibus recitaremus & auſcultaremus. Principio lentior erat recitatio, deinde, quemadmodum ſolet, incaleſcens paulatim lingua ſponte ferebatur ad celebritatem. Si mihi cum doctiore res erat, tantum orabam, vt ſecus quàm oporteret ſonantem admoneret, Ipſe recitantis linguam arrectiſſimis auribus obſeruabam, oculis in codicem fixis. Si quid eſſet recitatum difficilioris ſoni, fingebam non ſatis percepiſſe, rogabamque vt repeteret, quo certius eius syllabæ ſonitum infigerem animo. Quum ille iam recitando defeſſus eſſet, & ad me recitandi vices rediſſent, illius linguam pro viribus imitabar, reprehendenti gratias agebam. Si cum pari negocium eſſet ſuſceptum, æquis legibus*

paciscebamur, vt vterque alterum reuocaret errãtem. Ad hoc munus interdum natione græcum mercede conduxi, licet alioqui parũ eruditum, propter natiuum illum & patrium sonum. Tametsi doctos aliquot nactus sum, quorum pronuntiationem ego sanè grçcorũ quorundam eloquutioni non dubitem anteponere. Huic exercitationi datũ est trimestre spatiũ Nec vllius operę me minus pœnituit unquam. Nec enim simplex erat huius laboris vtilitas. Excepta siquidem exercitatione pronuntiandi, primum ipsa lectio præterquam quod erat alacrior ac vigilantior, quàm si solitaria fuisset, habebat & illud commoditatis, licebat sciscitari, si quid parum intelligerem. Nam & imperitior sępenumero tenet, quod doctiorem fugit. Et nescio quo pacto fit, vt acrius meminerimus, quę recitari audimus, quàm quę taciti legimus interdum semisomnes. L. Nihil verius. V. Hac arte euoluimus potius totum Demosthenem, totum Plutarchum totum Herodotum, Thucydidem, Homerum & Lucianum. Nec his contentus, asciui mihi sodalitatem aliquot φιλελλήνων. Conditæ leges ne quis super cœnam, nisi græce loqueretur, παρανόμω. multa dicebatur pecuniaria, si quis latine dixisset absque veniæ præfatione, assis, si græce quidem, sed inemendate, assis dimidiũ, si bis ad eundem impegisset lapidem, hoc est, si delaberetur in eum errorẽ, cuius ante fuisset admonitus, drachma. LEO. Quomodo succedit res? VRS. Initio submoleste, ne dicam dolo, verum pauculis diebus successit facilitas, mox & iucunditas non sine fructu maximo. His artibus hanc quantulamcunque dicendi legendíque promptitudinem sum adeptus, ad quam tuendam plurimum

rimum confert alijs prælegere bonos authores. LEO. *Optarim tibi fortunam exiliorem*. VRS. *Etiam' ne exi liorem, quum penè nulla sit? quo meo merito mihi pre caris tantum mali?* LEO. *Prćficerem te meo leunculo.* VRS. *Nę tu planè, quod dici solet, boui clitellas, aut si quid est ineptius. quod si literator esse possem, habeo do mi quos doceam. Verum hanc operam tibi polliceor mi Leo, Tu quod potes dispice si quem nancisci poteris ido neum hic prouincię, ego vicissim circumspiciam, si quid queam, & collatis in commune nostris consilijs prospicie mus catulis nostris, vt ex hominibus nati videri queãt.* LEO. *Habeo gratiam Vrse, quãtum possum maximam relaturas etiam vbi dabitur & oportunitas & facultas. Quàm tibi Leonis occursus fuerit felix nescio, mihi tales Vrsos optarim sępius occurrere. Onustus tuis officijs do mum redeo.* VRS. *Nec ego nihil aufero bonæ sarcinæ. Par pari relatum est.* LEO. *Vnum te velim adiungere tam multis in me beneficiis.* VRS. *Quodnam?* L. *Istam vaginam optarim esse meam.* VRS. *In quem tandem vsum?* LEO. *Ne mihi excidant isti versus tam belle picti.* VRS. *Quid ni? vt cum Samijs ridearis literatus miles.* LEO. *Ego vero sic vel literatissimus haberi cu piam, & si proficiscar in bellum, nolim vllam armorum partem esse mutam, sed vaginam, et ensem, et capulam, & arcum, & sagittas, & lanceam, & bombardam, et galeam, & thoracem, & baltheum, & clypeum opta rim habere literarum nonnihil, quod me alicuius bonæ rei admoneret. Sin domi sit agendum, cuperem totam undiq; loquacissimam esse, sit vt & postes, & ostia, & fenestrę, et singulę tessellę vitreę, et trabes, & laquearia,*

& pauimenti lateres, & parietes, ad hæc & supellex vniuersa, lodices, cortinæ, aulæa, mensæ, sellæ, mantilia, disci, cantari, cyathi, cochlearia, pelues, ollæ, chytropodes, aliquid loquerentur quod expediret non obliuisci, tantum abest, vt me puderet istius vaginę. VRS. Aiunt inauspicatum esse, si quid huiusmodi rerum, quæ aduersus hostes gestantur, amicus donet amico. Hoc hominis vt vitemus, ex donatione commutationem faciamus. Da tuum ensem & accipe meum, sitq; hoc pignus inter nos initi literarij foederis. LEO. quod nobis vtriusq; nostrisq; catulis bene uertat, accipio quod offers, Musis, vti spero, bene fortunaturis.

~~ERASMI ROTERODAMI~~ DE PRONVNTIATIONE DIALOGI FINIS.



DES. ERASMVS ROT. ORNA-
tissimo viro Ioanni Vlatteno. S. D.



RDVVM *in primis, planeq; regium munus est, uir ornatissime, prudentibus fidisq; consilijs reip. prospicere, quod nimirum intelligens Homerus eum, penes, quem erat summa rerum,* βουληφόρον *appellat, nec alij mortalium vlli prę clarius de ciuitatibus ac regionibus merentur, quum omni, quidem tempore, tum vero pręcipue hoc sęculo, quo nescio quo fatali tumultu, sursum deorsum miscentur omnia, siue Christianę religionis statum inspicias, siue monarcharum ac rerum publicarum conditionem reputes, siue studiorum ac literarum rationem intueare omnibus sic perturbatis, vt non alio tempore verius fuerit illud Grecis celebratum,* ἱερὸν ἡ βουλή. *Te vero in hoc pulcherrimo negocio summa fide, mira vigilantia, pariq; dexteritate versantem interpellare, fortassis improbum, aut impium etiam videatur, sed quoniam arbitror non sine causa praecipere Flaccum, Misce stultitiam consilijs breuem, en adest ab Erasmo tibi libellus, qui suis nugis aliquantisper auocet animum tuum à grauibus tetricisq; negocijs. Quanquam hae nugae sunt eius generis, vt quemadmodum ait idem, Seria ducunt, tantum autem abest, vt nihil attineant ad remp. vt ad te quoque peculiariter spectent, qui rei scholasticę apud Aquisgranos summam curam susceperis. Multorum enim partim ignauia, partim sinistris moribus fit, vt bonae literę, quę sat feliciter cœperant efflorescere,*

iam passim vergant ad interitum, & quasi sit hoc parū extitere pridem, qui nobis veluti nouam sectam moliuntur inuehere, Ciceronianos sese uocant, intolerabili supercilio reijcientes omnium scripta, quæ Ciceronis lineamēta non referunt, & adolescentiam à cęterorum scriptorū lectione deterritam ad vnius M. Tullij superstitiosam æmulationem adigunt, quum nulli minus exprimant Ciceronem quàm ipsi, qui se huius tituli fumo molestissime venditant iactitantq;. Quanta vero studiorum pernicies, si persuasum fuerit neminem præter vnum M. Tullium vel legendum esse, vel imitandum? Subolet autem & aliud huius nominis prętextu geri, nimirum ut pro Christianis reddamur Pagani, quū ego nihil prius agendum existimem, quàm vt bonæ literæ, Christi domini Deiq; nostri gloriam, ea sermonis copia, splendore, nitoreq; prædicent, quo M. Tullius de rebus prophanis dicere solitus est. Et animaduerto iuuenes aliquot, quos nobis remittit Italia, pręcipue Roma, nōnihil affl atus hoc affectu. Visus itaq; sum mihi rem facturus nec inutilem ad pietatem, & studijs adolescentiæ conducibilem, si lucubratiunculam vnam huic rei darem, non vt eloquentię candidatos à Ciceronis imitatione deterreā, quid enim insanius? sed vt ostendā quo pacto fieri posset, vt vere Ciceronem exprimamus, & summam illius viri facundiam cum Christiana pietate copulemus. Argumentum hoc dialogo tractauimus, quo simul & minus esset tædij lectoribus, & res facilius illaberetur in affectus iuuenum. Bene vale. Basileę postridie Idus Februarij. Anno M D XXVIII.

Dialogus, cui titulus, CICERONIANVS, siue, De optimo dicendi genere. Personæ.

BVLEPHORVS, HYPOLOGVS, ET NOSOPONVS.



VLEPHORVS. Quem video nobis procul in extrema porticu deambulantem? Nisi parum prospiciunt oculi, Nosoponus est vetus sodalis, & studiorum σύμφοφος. HYP. An hic est ille Nosoponus, olim congerronum omnium lepidissimus, rubicundulus, obesulus, Veneriis & Gratijs undique scatens? BVL. Is ipse est. HYP. Vnde hæc noua species? Laruæ similior videtur quàm homini. Num quis hominem habet morbus? BVL. Habet grauissimus. HYP. Quis obsecro? Num hydrops? BVL. Interius malum est, quàm in cute. HYP. Num nouum hoc lepræ genus, cui vulgus hodie scabiei nomine blanditur? BVL. Et hoc interior hæc lues. HYP. Num ptysis? BVL. Penitum insedit malum quàm in pulmone. HYP. Num phthisis aut icterus? BVL. Est quiddam felle interius. HYP. Fortasse febris in uenis & corde grassans. BVLE. Febris est, & non febris, interius quiddam adurens quàm si febris in uenis aut corde grassetur, ab intimis animi penetralibus quæ in cerebro sunt proficiscens. Sed desine frustra diuinare, nouum mali genus est. HYP.

Nondum igitur habet nomen? B V L. *Apud latinos nondum, græci vocant* Ζelodulean. H Y P. *Nuper accidit, an* χρόνιον *est malum?* B V L. *Annos iam plus septem eo tenetur miser. Sed heus, conspecti sumus. Videtur huc gradum flectere, melius ex ipso cognosces quid sit mali. Initio Dauum agam, tu fac orationi subseruias, & fabulę partem agas.* H Y P. *Equidem id faciam sedulo, si norum quid mihi deleges.* B V L E. *Percupio veterem amiculum tanto leuare malo.* H Y P. *Etiam ne rem medicam calles?* B V L. *Scis esse dementię genus, quod non totam mentem adimit, sed vnam modo partem animi lędit, verum insigniter, veluti sunt qui sibi videntur capite taurina gestare cornua, aut naso prę longo onusti, aut ingens idq; fictile portare caput exili collo innixum, mox comminuendum, si se vel tantulum commoueant, nonnulli sunt, qui, quoniã se mortuos arbitrantur, uiuorum exhorrent congressum.* H. *Desine, noui istud morbi genus.* B. *Ad his medendum nõ alia via commodior, quàm si te simules eodem teneri malo.* H. *Istuc audiui frequenter.* B V L. *Id nunc fiet.* H. *Huius fabulę non modo spectator, verumetiam adiutor lubens fuero Nam homini cum primis beneuolo.* B. *Ergo compone vultum et sume personam, ne quid illi subboleat rem de composito geri.* H. *Fiet.* B. *Nosoponũ etiam atq; etiam saluere iubeo.* H. *Et Hypologus Nosopono salutem dicit.* NOS. *Equidem vobis ambobus paria vicissim precor. Sed vtinam adsit quod optatis mihi* B V L. *Non abesset, si nobis tam esset in manu dare, quàm est optare. Sed quid est rogo te, mali? Nam ista facies ac macies nescio quid sinistri pollicentur. Apparet*

hepatis esse vitium. N. *Imò cordis vir optime.* H. *Bona verba. Siquidem malum immedicabile narras.* BVL. *Nulla ne spes in medicis?* N. *Ab humanis præsidijs nihil est quod sperem. Numinis opus est ope.* BVL. *Atrocem morbum narras. At cuius tandem numinis?* N. *Est diua quæ Græcis dicitur* πειθὼ. BVL. *Noui deam flexanimam.* NOS. *Huius amore depereo, emoriturus ni potiar.* BVL. *Haud mirum Nosopone si contabescis, Noui quàm sit res violenta Cupido, & quid sit esse* νυμφόληπτον, *Sed quàm pridem te corripuit amor?* NOSO. *Anni sunt fermè decem, quod hoc saxum voluo, nec adhuc succedit. Itaque certum est, aut immori negocio, aut assequi tandem quod amo.* BVL. *Tenacem pariter atque infelicem amorem narras, qui tot annis nec elabi potuerit, nec copiam adamati fecerit.* H. *Fortassis hunc nymphæ suæ copia discruciat magis quàm inopia.* NOS. *Imò inopia maceror infelix.* B. *Qui potest? quando si hactenus omnium vnus excelluisti dicendi facultate, vt plerique de te prædicarent, quod olim de Pericle dictum est. Suadelam in tuis sessitare labris.* NOS. *Vt paucis dicam, mihi putet omnis eloquentia præter Ciceronianam. Hæc est illa nympha, cuius amore colliquesco.* BVL. *Nunc affectum intelligo tuum. Speciosum illud & amabile Ciceroniani cognomen ambis.* N. *Adeo, vt ni consequar vitam mihi acerbam existimem.* B. *Prorsus mirari desino. Ad rem omnium pulcherrimam animum adiecisti, sed nimium verum est quod dici solet,* δύσκολα τὰ καλά. *Iam tuis votis in me ipso faueo, si quis deus propitius nos respiciat.* N. *Quid rei est?* B. *Dicam si potes riualem perpeti.* N. *Quorsum*

ista? BVL. *Eiusdem nymphę me discrutiat amor.* NO. *Quid audio? Teneris eadem cura?* BVL. *Et qui maxime, & indies accrescunt flammę.* NO. *Isto quidem nomine mihi charior es* Bulephore, *vt quem hactenus semper in primis dilexi, nunc etiam amare incipiam, posteaquàm conueniunt animi.* BVL. *Fortaße nolles isto leuari morbo si quis herbis, gẽmis, aut incãtamentis opem polliceatur.* NO. *Isthuc eßet occidere, non mederi. Aut moriendum est, aut potiundum, nil medium est.* BVL. *Vt facile tuum affectum ex meo diuinabam.* NO. *Nihil itaq; te celabo, velut ijsdem mysterijs initiatum.* BVLE. *Tuto quidem isthuc feceris* Nosopone. NOS. *Me non solum pulcherrimi cognominis splendor solicitat, verum etiam* I*talorum quorundam procax insultatio, qui quum nullam omnino phrasim probent prętr Ciceronianam, sumq; probri loco ducant, negari quẽpiam eße Ciceronianum, tamen huius cognominis honorem ab orbe condito nemini Cisalpinorum contigiße iactitant, præterquam vni Christophoro* Longolio, *qui nuper è viuis excεßit. Cui ne videar hoc laudis inuidere, idem ausim de illo prædicare, quod de Caluo scripsit* Quintilianus, *fecit illi properata mors iniuriam.* H. *Imò nõ tam illi, quàm optimis studijs præpropera Longolij mors fecit iniuriam. ¿Quid enim ille non potuißet nobis in bonis literis restituere, si tali ingenio, tali industrię iustum vitę spatium addidißent superi?* B. *Verũ, quid vetat, quo minus quod uni datum est, Musis fauentibus, obtingat pluribus?* N. *Ille huic pulcherrimo facinori immortuus est mea sententia felix. Quid enim pulchrius, quid amplius, quid magnificentius, quàm Cisal-*

pinum hominem Italorum suffragijs appellari Ciceronianum? B. Gratulandum arbitror illius felicitati, qui suo tempore decesserit, priusquàm hanc gloriam aliqua nubecula offuscaret vel ob Græcanicæ literarum studium, cui se dicare cœperat, vel ex Christianis autoribus oborta nebula à quibus fortasse non satis constáter abstinuisset, si diuturnior vita contigisset. B. Sic est, vt ais, illi pulcherrimo facinori immori datum est. At mihi spes est futurũ, vt huic pulcherrimo facinori superstimus etiã, non immoriamur. N. quàm faueo tuis votis. Desperẽ, ni isthuc malim, quàm in diuorum ascribi numerum. B. quis enim non malit apud posteros celebrari Ciceronianus quàm sanctus? Cæterum quando hoc amoris genus Zelum nescit, obsecro te perq; curas, perq; spes, mihi tecum communes, vt pariter amanti saltem consiliũ tuum impartias, quibus rationibus tu tuam amicam ambias, Fortasse citius perueniemus ambo, si vterq; alteri fuerit auxilio. N. Musæ nesciunt inuidiam, multo minus Gratiæ Musarum sodales. Studiorum socio, nihil negandum est, & amicorum oportet esse communia omnia. B. Planè bearis me, si id feceris. H. Quid si me quoq; in vestrum contubernium recipiatis? Sum enim, iam pridem eodem œstro percitus. N. Recipimus. Ergo velut eidem initiatis deo, retegam mysteria. Iam annos septem totos nihil attingo præter libros Ciceronianos, à cæteris non minore religione temperans, quàm Carthusiani temperent à carnibus. B. Quur isthuc? N. Ne quid alicunde hæreat alienæ phraseos, ac veluti labem aspergat nitori Ciceroniani sermonis. Proinde ne quid hic peccem imprudens, quicquid est aliorum codi

ab oculis submoui, scrinijs inclusum, nec vlli prorsus est locus in mea bibliotheca, preter quàm vni Ciceroni. B V L. *O me negligentem, tanta religione nunquam colui Ciceronem.* N O S. *Non tantum in Larario Museoq́; verum & in omnibus ostijs imaginem illius habeo belle depictam, quàm & gemmis insculptam circumfero, ne unquam non obuersetur animo.* Nec aliud *simulachrum in somnis occurrit præter quàm Ciceronis.* B V L. Non miror. H Y P. Ego Ciceroni inter *apostolos in Calendario meo locum* dedi. B V L. *Nihil miror. Deum enim eloquentię quondam appellabāt.* NOS. *In huius igitur scriptis euoluendis, ac reuoluendis, adeo sum assiduus? vt totum propemodum edidicerim.* BVL. *Industriā tuam mihi narras.* NOS. *Nūc accingor ad imitationem.* B. *Huic quātum temporis destinasti?* NOS. *Tantundem, quantum lectioni.* BVL. *Rei tam arduę parum est. Vtinam mihi vel septuagenario contingat tam speciosi cognominis decus.* NOS. *At mane,* Non *huic fido diligentię.* Nulla *est in omnibus diuini viri libris vocula, quàm non in* Lexicon *alphabeticum digesserim.* B V L. *Ingens volumen sit oportet.* N O S. *Duo robusti baiuli vix tergo gestent probè clitellati.* B V L. Hui. *At ego vidi* Lutetiæ *qui elephanto gestando sufficerent.* N. *Verum est alterum volumen hoc etiam grandius, in quod iuxta literarum ordinem annotaui formulas loquendi* M. Tullio *peculiares.* BVL. *Nunc demum me pudet oscitantię meę pristinæ.* NOS. *Additum est tertium.* BVL. *Hui etiam'ne tertium?* NOS. *Sic opus est. In hoc congessi pedes omnes, quibus Cicero vel incipit vel finit commata, cola, perio-*

dos, quibusq; numeris horum media temperat, tum qui bus sententijs quàm modulationem accommodet, vt ne tantillum quidem possit subfugere. B V L. *Vex qui fieri potest, vt primus index tanto maior sit toto Cicerone?* N O S. *Disce rem, & mirari desines.* Tu *forte me credis hac cura contentum, vt singulas annotem dictiones.* B V L O. *Sic opinabar, Est'ne amplius?* NOS. I*mò isthuc plus quàm nihil est.* B V L. Q*ui quæso?* N O S. *Vide quantum aberres à scopo.* Eadem vox *non semper eodem vsurpatur modo, Sit exempli gratia.* R*efero verbum, aliam vim habet quum ait.* M. Tul*lius referre gratiam, aliam quum ait,* Liberi parentes *& forma corporis & moribus referunt, aliam quum ait,* R*efero me ad intermissa studia, rursus aliam quũ ait,* Si *quid erit, quod mea referat scire, deniq; aliam quum ait,* Non *ignota referam.* Item *aliud est orare* Lentulum, *aliud orare causam.* R*ursus aliter contendit, qui cum altero certat, aliter qui quid instãter ab aliquo petit aliter contendit, qui magno studio connititur ad aliquid efficiendum, aliter qui res duas inter se committit comparatq;.* H Y P. *Papę, isthuc est scribere,* λεξικοὺς ἐλέγχους. B V L. N*unc demum intelligo, & tuam vigilantiam & meam oscitantiam.* N O S O. Nec *singulas dictiones incommutatas noto, sed adiungo quæ præcedunt ac sequuntur.* Nec *sat habeo vnum aut alterum notasse locum, quod alij solent, sed quoties quoties dictio reperitur apud* Ciceronem, *quamuis consimili forma, toties noto paginam, latus paginę, et uersus numex addito signo, quod indicet in medio ne versus sit dictio, an in initio an in fine.* His *rebus fie*

ri vides, vt vna dictio plures occupet paginas. BVL. Deum immortalem, quid tanta nō efficiat cura. NOS. Mane dum Bulephore. Nihil est quod hactenus audisti. B. Quid istis potest accedere? N. quid prodest tenere verbum, si hæreas, aut etiam labaris in deflexis, deriuatis & compositis? B. Non satis percipio quod dicis. N. Expediam. quid tritius aut vulgatius his verbis, amo, lego, scribo? B. etiam ne hęc in dubium veniunt? N. Aut his nominibus, amor, lectio, scriptor? B. Nihil. N. At illud habeto persuasum, & necessum esse mihi, & opus esse quicunque contendat ad Ciceroniani cognominis dignitatem, tanta religione, vt nec his quamlibet vulgaris dictionibus vtatur, nisi consulto indice, nisi forte tutum existimas fidere grammaticis, qui verba per omnes modos, personas, genera & tempora, nomina, pronomina & participia per omnes casus & numeros inflectunt, quum nobis fas non sit, quicquam hoc vsurpare, quod à Cicerone non fuerit vsurpatum. Non magnum est grammaticè dicere, sed diuinum est Tullianè loqui. B. Dic obsecro clarius. N. Amo, amas, amat, sit. n. hoc exempli causa dictum, apud Ciceronem inuenio, at amamus & amatis fortasse non inuenio. Item amabo inueñio, amabatis non inuenio. Rursus amaueras inuenio, amarus non inuenio. Contrà amasti reperio, amauisti nequaquam. Iam quid si legeram, legeras, legerat reperias, legeratis non reperias? si scripseram inuenias, scripseratis non inuenias? Ad eundem modum coniecta de verborum omnium inflexionibus. De casuum inflexionibus similis est ratio, amor, amoris, amorem, amori, comperio apud Ciceronem, ò amor, hos amo

res, horum amorum, his amoribus, ō amores non comperio. Item lectio, lectionis, lectioni, lectionem inuenio, lectiones, lectionibus, lectionum, has lectiones, & ō lectiones non inuenio. Ita scriptorem & scriptores reperio, scriptoribus & scriptorum pro substantiuo nomine non reperio. Non obsto quo minus hæc videatur ridicula, si vos audebitis stultitias & stultitiarum, vigilantias & vigilantiarum, speciebus & specierum, fructuum, ornatuum, cultuum, vultuum, ambitibus & ambituum, aliaq; huius generis innumera fando vsurpare. Ex his paucis exempli gratia propositis æstimare potes de cæteris omnibus, quæ consimilem ad modum inflectuntur. HYP. In tenui labor. B. tenuis non gloria. N. Succinam & ego si quem Numina læua sinunt, auditq; vocatus Apollo. Nunc de deriuatis accipe. Lego, non vereor vsurpare, legor non ausim dicere. Nasutus ausim dicere, nasutior, & nasutissimus, nequaquam. Ornatus & ornatissimus, laudatus & laudatissimus intrepide dico, ornatior & laudatior nisi comperero, dicere religio sit. Nec quia scriptor & lectio offendo apud Ciceronem, statim ausim dicere, scriptorculus et lectiuncula. B. Immensam rerum syluam video. N. Nunc accipe de compositis. Amo, adamo, redamo, dicā deamo non dicam. Perspicio dicam, dispicio non item. Scribo, describo, subscribo, rescribo, inscribo dicam, transcribo non dicam, nisi deprehendero in libris M. Tullij. B. Ne te planè commemorando defatiges Nosopone, rē non aliter quàm in speculo videmus. N. Hæc index ille minimus omnium complectitur. B. Cameli video sarcinam. H. Et quidem iustam. B. Qua ratione fit, vt in

his tam varijs non aberres? NOS. *Primum hic fido nec grammaticas, nec cęteris autoribus quamlibet probatis, nec prçœptionibus, nec regulis, nec analogijs, quę plurimis imponunt.* In *elencho noto omnes singularum vocum inflectiones, tum deriuationes, postremo compositiones.* Q*uę sunt apud* Ciceronem, *miniata* virgula *signo, quę non sunt, atra.* Ita *fieri non potest, vt fallar unquam* BVL. *quid si dictio sit apud* Terentium *aut ęque probatum autorem, notabitur atra virgula?* NO. Nulla *est exceptio.* Ciceronianus *non erit in cuius libris vel vna dictiuncula reperiatur, quàm non possit in* Ciceronis *lucubrationibus ostendere, totamq; phrasim hominis non aliter quàm adulterinum numisma, reprobam iudicabo, in qua vel vnum verbum resederit, quod* Ciceroniani *characteris non habeat notam, cui soli velut eloquentię principi datum est à superis,* Romani *sermonis monetam cudere.* BVL. *Ista lex seuerior est etiã* Draconis *legibus, si ob vnam dictiunculam parum* Ciceronianam, *totum volumen dãnatur, quamuis aliã s elegans ac facundum.* H. *Atqui iustum est.* An *non vides ob vnicum nummulum adulterinum ingentem pecunię vim confiscari, & vno neuo quãlibet exiguo totam puellę formam, licet aliã s egregiã, deuenustari?* BVL. Accedo. N. Ex *his quę diximus si iam omnia conjicientes, satis intuemini quanta sit huius indicis moles, cogitate quanto maior sit indicis, in quo formulas loquendi, tropos et schemata, gnomas epiphonemata, lepide dicta, similesq; dictionis delicias omnes sum complexus.* Rursus *tertij, qui numeros omnes & pedes, quibus* M. Tul*ius orationis partes incboat, profert, finitq;, continet.*

Nullus est enim in toto Cicerone locus, quem non ad certos pedes redegerim. BVL. *Ista moles vel elephantem baiulum desideret.* H Y P. *Prorsus ἀμαξιαῖον onus narras.* NO. *Atqui nihil mentior.* BVL. *Ne tu septenium hoc haud male collocasti. Nunc quãdo perpulchre instructus ex indicibus, superest ut nobis amicus amicis, ac συμμύσταις, & illud indices, quibus rationibus supellectilem istam preclaram ad scribendi, dicendi'ue vsum accommodare soleas.* N. *Nõ committam vt quicq̃ per me quidem nos latuisse videatur. Ac de scribendo dicam prius, quando vere dictum est, stylum optimum esse dicendi magistrum. Primum illud est. Nunquam ad scribendum accingor, nisi nocte intempesta, quum profunda quies, & altum silentium tenet omnia, & si mauultis Maronis audire carmen.*

Placidum quum carpunt fessa soporem
Corpora per terras, syluęq; & sęua quierunt
Aequora, cum medio voluuntur sydera lapsu.
Quum tacet omnis ager, pecudes pictęq; volucres.

Deniq; quum tanta rerum omnium tranquillitas est, vt Pythagoras, si viueret, orbium cęlestiu harmoniam exaudire liquido posset. Nã tali tempore dij deęq; gaudent cum puris mentibus miscere colloquiũ H. *Isto noctis tempore nos prophani lemuium occursus formidare solemus.* N. *At nobis musę dederunt & inauspicatos lemures, & malignum spernere vulgus.* B. *At sunt noctes adeo trãquillę, vt in his austri boreęq; ruinas ędiũ, ac miseranda ludant naufragia.* N. *Noui, sed ego tranquillissimas eligo. Non arbitror esse vanum quod scripsit Ouidi. Est deus in nobis, agitante calescimus illo.*

Si quid igitur diuinum habet hominis animus, id sese profert in eo profundissimo silētio. B. Nō me fugit, istud secretum semper à laudatissimis viris fuisse captatum, quoties aliquid immortalitate dignum molirentur. N. Habeo Museum in intimis ædibus, densis parietibus, geminis & foribus, & fenestris, rimis omnibus gypso piceq; diligenter obturatis, vt vix interdiu lux aut sonitus vllus possit irrumpere, nisi vehementior, qualis est foeminarum rixantiam, aut fabrorum ferrariorum. B. Vocum humanarum tonitrua & officinorum strepitus non sinunt animum sibi præsentem esse. N. Proinde ne in proximis quidem con clauibus patior quenquam habere cubile, ne vel dormientium voces ronchi ue, cogitationis secretum interpellent. Sunt enim qui in somnis loquuntur, & nonnulli tam clare stertunt, vt procul etiā audiantur. H Y P. Mihi frequenter & sorices noctu scripturienti negocium facessunt. N. In meis ædibus ne muscę quidem locus est. B. Sapiēter tu quidem atq; etiā feliciter Nosopone, si queas & animi curas obstrepentes excludere, quæ si nos & nocte comitantur in abditum illud, quid profecerimus captato silentio? N. Recte mones Bulephore. Nam intelligo tumultus istos alijs sępe molestiores esse, quàm uicinorū fabrorum folles aut malleos. B. Quid ergo? tibi nonnunq̄ obstrepunt, amor odium, liuor, spes, metus, zelótypia? N. Ne te multis morer, illud semel scito Bulephore, qui amore, zelotypia, ambitione, studio pecunię, similibusq; tenentur morbis, eos frustra hanc ambire laudem, cuius nos sumus candidati. Res tam sacra requirit pectus non modo purum ab omnibus vitijs, uerum etiam ab omnibus curis

uacuum,

vacuum, Non aliter quàm secretiores illæ disciplinę, Magia, Astrologia, & quàm vocant Alcumisticam Porrò leuiores illę curę facilè cedunt intentioni tam acri, tamq; seriæ. quanquam & has, si quę sunt, dispello, priusquā sacrum illud adeam, Nam in hoc animum multo studio consuefeci meū. Atq; hac potissimum de causa cœlebs agere decreui, nequaquam ignarus quàm sancta res sit coniugium, sed quod vitari nequit quin vxor, liberi, affines, multam curarum materiā secum trahant. B. Sapuisti Nosopone. Nam mea coniunx, si noctu parem ad istum modum operā dare Ciceroni, perrumperet ostiū, laceraret indices, exureret schedas Ciceronem meditantes, et quod his etiam est intolerabilius, dum ego do operam Ciceroni, illa vicarium accerseret, qui ipsi pro me operam daret. Itaq; fieret, vt dum ego meditor euadere Ciceroni similis, illa gigneret aliquem Bulephoro dissimilem. NOS. Isthuc quoniam scio quibusdam vsu venisse, alieno monitus periculo mihi in tempore caui. Eodem consilio, nec vllum munus publicum, nec ecclesiasticam dignitatem suscipere volui, ne quid ex his accederet animo solicitudinis. BVL. At ista magnis studijs ambiuntur ab alijs. NOS. Nō equidem inuideo. Mihi vel consulatu, vel summi. Pontificis regno potius est, tum esse, tum haberi Ciceronianum. H. qui vere amat, præter vnam amare non potest. NOS. Tum si quid huius rei paro, sub eam noctem à cœna tempero, leuiter etiam pransus, ne quid crassę materię, liquidioris animi sedem inuadat, neu qua nebula è stomacho exhalata grauet atque affigat humo diuinę particulam auræ. BVL. Sic affectum fuisse arbitror Hesiodum, quum Musæ cum

ipso loquerentur. HYP. At Ennius ipse pater nūquam nisi potus ad arma prosilijt dicenda. NOS. Et ideo scripsit vinum olentia carmina. BVL. Et satur est quum dicat Oratius, ohe. NO. quid agat furor poëticus, nihil ad nos. Ciceronianum esse sobria res est. H. Me cerebrum destituit, si quando ieiunio. NO. Non planè ieiunium est. Sumo decem acinos vuę passæ minutulæ quàm Corinthiacam vocant. Hic neq; cibus est, neq; potus, & tamen utrumq; est. BV. Intelligo. Leniter humectant, cōferuntq; cerebro ac memoriæ. N. Addo tria coriandri grana saccaro in crustata. B. Optime, ne quid vaporis ex decem illis acinis prouolet in mentis sedem. NOS. Neq; vero quibuslibet noctibus abutor ad hāc operam. B. Non? Eas excepisti, quibus sæuit Auster aut Boreas. Fortassis hybernas fugis ob noctis rigorem. NO. Hoc incommodi facile depellit foculus luculentus. H. At interim obstrepit fumus & materię crepitus. N. Acapnis vtor. B. quas igitur noctes deligis? N: Paucę sunt felices huic sanè negocio, proinde prosperas deligo. B. Vnde quęso? N. Ex astrologia. B. quum te plusq̄ totum possideat Cicero, qui fuit ocium astrologię perdiscendę? N. Indicem mihi mercatus sum ab huius artis peritissimo. Huius consilio rem gero. HYP. Audio multos indicibus istiusmodi fuisse delusos, quoties scriptor errauit in numero. NOS. Exploratum ac spectatum ami. BVL. Deum immortalem, isthuc est scribere, nec iam miror Hypologe, si nostra sunt incondita rudiaq;. Verum ad istum composito modum, vtra cogitatio prior, de rebus, an de verbis? N. Vtraq; prior, & vtraq; posterior. B. Aenigma dedisti, non responsum. N. At explicabo no-

dum. In genere de rebus prior est cogitatio, in specie posterior. B. *Nondum satis liquet quid velis.* NO. *Exemplo faciam perspicuum. Statui scribere* Titio, *sic fingite, vt quamprimum curet ad me remittendos codices, quos illi cōmodato dederam, si nostram amicitiam velit esse incolumem.* Nam *incidisse quiddam, vt illis mihi vehementer sit opus.* Id *si fecerit, nihil esse in rebus meis, q̄d non suum ducere possit, Sin minus, me veteris amicitiæ tesseram illi remittere, ac simultatem denuntiare.* Hæc *prima cogitatio nimirū de re, sed in genere.* B. Intelligo. N. *Huic illico succedit uerborum cura.* Euoluto *quā plurimas* Ciceronis *epistolas, elenchos meos omnes cō sulo, seligo voces aliquot insigniter* Ciceronianas, *deinde tropos, formulas, tum numeros,* Demum *affatim instructus huiusmodi supellectile, dispicio quos flosculos quibus locis possim inserere.* Mox *ad sententiam curam redeo.* Hoc *enim iam artis est, sensus ad hęc verborū ornamenta inuenire.* HYP. Haud *aliter quā si quis egregius artifex, vestem pręclaram apparet, ad hęc, monilium, anulorum & gemmarum vim, mox ceream affingat statuam, cui hæc accommodet ornamenta, vel potius quàm ad ipsa conflectat ornamenta.* B. *Quid ni?* Verum *age* Nosopone. *Num tota nox vni datur epistolæ?* NOS. *Quid mihi narras vnam? Musis pulchre* videor *litasse, si periodum unicam absoluerit nox hyberna.* BVL. *Ita'ne de re tam non magna, tam prolixas scribis literas?* NO. *Imò perbreues, ne sis insciens vt quę sextam periodum non excedant.* BVL. *quin igitur sex noctes sufficiunt his absoluendis?* NOSO. *quasi satis sit scripsisse semel.* Decies *refingendum quod*

scripseris, decies ad indicem exigendum, ne qua forte dictio inscula te fefellerit adulterina. Rursus *altera superest examinatio de tropis ac formulis, postrema de numeris & compositione.* B. *Isthuc nimirum est opus absoluere.* N. *Ne id quidem satis ô bone.* Dehinc *quod elaboratum est cura, quanta potest maxima, seponendum est in aliquot dies, vt ex interuallo, refrigerato iam inuentionis amore, velut aliena legas, quę tua sunt.* Hic *demum grauis agitur censura.* Hoc *seuerum, incorruptum, et, ut gręci vocant, ἀδέκαστον iudicium, vbi qui scripsit ex parente fit* Areopagites. Hic *sępenumero fit, vt verso stylo, nihil relinquas.* B V L. *Omnino sic fiunt accuratæ, sed interim ille fruitur codicibus abs tę desideratis* NOSO. *Isthuc incommodi malim perpeti quàm aliquid à me proficisci, quod non sit Ciceronianum.* Ducitur *suo quisque iudicio.* Ego *malim multum scribere quàm multa.* B V L. *Scribendi rationem habemus.* Ad *dicendum qua meditatione te paras?* N. *Prima cautio est, ne cui loquar Latine, quod queam effugere.* B V L. *Ne latine?* At *qui dicendo fieri predicant, vt bene dicamus.* No*uum autem exercitationis genus, si silendo discimus loqui.* N. *Dicendo fit vt dicamus expedite, vt Ciceroniano more, nequaquam. Qui se parant equestri certamini, generosos equos à cursu prohibent, quo ad seriam rem integris viribus veniant.* Nec *venator prius demit lorũ generoso cani, quàm visa est fera.* Ad *garriendum de quibus libet nugis, sufficiat mihi sermo* Gallicus, *aut* Batauicus, *prophanis ac vulgaribus fabulis non contamino sacram linguam.* Quod *si qua res vrget, vt Latine dicendum sit, & pauca loquor, nec sine præmeditatione.*

*Et in eum vsum habeo paratas aliquot formulas.*BVL. *Quas dici formulas?* NOSO. *Velut si sit salutandus aut resalutandus amicus eruditus, qui forte factus est obuius, aut vicissim laudandus qui te laudarit, aut si gratulandum ex longinqua peregrinatione reduci, siue ex ęgrotatione graui rediuiuo; aut agendæ gratiæ qui pręstitit officium, aut bene precandum ei qui nuper duxit vxorem, aut deplorãdus casus, cui periit vxor. Ad hæc & huiusmodi, formulis instructus sum è Cicerone decerptis atque concinnatis, eas edidici, quo possim vti velut ex tempore. Porrò si quis casus inciderit, vt vitari non queat quin in longum proferatur sermo protinus mulcta lectione diluo quod contractum est labis.* Neque enim me fugit, hoc ipso colloquio, quod vobiscum nunc habetur, quantum flagitiorum admittam, quãtum detrimenti capiam ad id quod molior. Itaque ad sarciendum vix menstrua suffecerit lectio. BVL. *Quid si detur spacium meditationi.* NOS. *Tum, quod fuerit iis, quas dixi, rationibus elucubratum edisco quoque sit memoria certior, subinde mecum recito, ita fit, vt quum res poscit, veluti descripto pronuntiem.* BVL. *Quid si qua necessitas exigeret extemporalem orationem?* N. *qui potest incidere, qui nihil ago publicum? Et si quãm functionem publicam obirem, non sum melior Demosthene, qui nunquam voluit nisi meditatus assurgere, quamlibet populi vocibus efflagitatus.* Nec mihi pudendum ducerem, quod in oratorum apud Grecos principe laudatur, nec me pœniteat conuicii, si quis dicat mea τῶν λύχνων ἀπόζειν. B. *Equidem & propositum tuum admiror, & animi fortitudinem suspicio* Nosopone, *supra*

quàm dici possit, inuiderem etiam, si vel in hoc genere studiorum, vel inter tam coniunctos amicos ac sodales tanta pestis incidere posset. Ceterum quoniam arduum est quod expetimus, & via non modo longa ac perdifficilis est, verum etiam anceps, si periculum proprie tuum esset, tamen arbitrarer hoc esse necessitudinis nostrę, neq; vulgaris, neq; recentis, liberis consilijs amico prospicere, ne tot curas, tot vigilias cum valetudinis ac rei familiaris dispendio frustra susciperet, susceptas urgeret, né ue, quod in rebus humanis nimium frequenter accidere videmus, pro thesauro diu multumq; quęsito tandem reperiret carbones. Nũc vero quum pari cupidine ducamur omnes, eiusdemq; nymphæ teneamur amore, Nam & Hypologus eiusdem est animi, tuę quoq; fuerit humanitatis, & si quid admonemus, boni consulere, & si quid habes melius, libenter amicis communicare. NOS. Aequissimũ Bulephore postulas, proinde nec te grauatim audiam, nec malignè, si quid cõsulere queã in medium conferam. BVL. Primum illud mihi tecum conuenit, opinor, ei qui dicendi scribendi ue laudem affectat, cognitis ante diligenterq; perceptis artis pręceptionibus, ex multis laudatis scriptoribus optimum quépiam esse seligendum quem imitetur, & ad quem exprimendum se componat. NOS. Maxime. BVL. Neminem autem esse, duntaxat apud Latinos, qui pluribus eloquẽtię virtutibus excellat quàm M. Tullius, de quo iure optimo prædicatum est, quod de Apelle, in quem vnum conflatum erat, quicquid in cęteris pictoribus erat eximium ac singulare. NOS. Quis isthuc neget? BVLE. Dabis veniam Nosopone, si crassius rusticiusq; collige-

ro, Dialecticẽs rudis. NOSO. Inter amicos decet omnia boni consulere. quanquam & alioqui mihi satis argute colligit, qui vere colligit. BVL. Age, quid igitur sentis de Zeuside Heracleota? NOSO. Quid aliud, quàm quod excellentissimo graphices artifice dignum est? BVL. Num & ingenio iudicioq; valuisse putas? NOSO. Qui potuit ars tanta carere iudicio? BVL. Commode respondes. quid igitur illi veniebat in mentem, vt, quum Crotoniatis picturus Helenę simulachrum, in quo decreuerat quicquid artis suę viribus posset explicare, & absolutum formę muliebris (nam in hoc argumento cæteris antecelluisse legitur) exemplar viuę simillimum ędere, in quo nulla venustatis portio desiderari valeret, non vnam quampiam omnium pulcherrimam adhibuit, sed ex omnibus oblatis aliquot cęteris pręstantiores elegerit, vt ex singulis decerperet quod in quaq; decentissimũ esset itaq; demum admirandum illud artis suæ monumentum absoluerit? NOSO. Diligentissimi pictoris officio functus est. BVL. Vide igitur num recto consilio ducamur, qui eloquentię simulachrum ab vno Cicerone, quamuis prę stantissimo, petendum arbitramur. NOSO. Si tali forma virginem Zeusis esset nactus, qualis est eloquentia Marcus Tullius, fortassis vnius corporis exemplo fuissem contentus. BVLE. Atqui hoc ipsum quo pacto iudicare potuisset, nisi multis corporibus diligenter inspectis? NOSO. Finge persuasum fuisse. BVLEPHO. In hac igitur es sententia, nullam in alijs oratoribus esse virtutem imitatu dignam, quæ non eximia sit in M. Tullio? NOS. Ita censeo. BVLE. Nec

vllum in hoc esse neuum, qui non maior sit in cæteris? NOS. *Ita prorsus.* BVL. *Non hic proferam M. Brutum qui totum hoc dicẽdi genus, quod Ciceroni visum est optimũ, improbauit, quumq́; status ac diuisionis propositiones, velut causę totius columnę, pręcipua sit orationis pars, in oratione pro Milone, quàm adeo suspiciunt omnes.* Brutus *non probauit, primarium ac secundarium causę statum adhibitum à* M. Tullio, *sed eandem causam aliter tractaui.* Non *obijciam* Pomponiũ *Atticum, cuius unguiculos ac miniatulus cerulus se metuere scribit Cicero, quibus ille notare solitus est quę in* M. Tullij *scriptis offendebant, non* M. Catonem, *qui Ciceronem quum sibi maxime festiuus videretur, ridiculum appellauit.* Hactenus *&* viros grapes, *&* amicos *Ciceronis recensui,* Hic *si adijciam* Gallum, Lartium, *Licinium,* Gestium, *Caluum, Asinium, si Cælium ac Senecam, si complures alios, qui quum de Ciceronis ingenio non satis magnifice senserunt tum orationis genus damnarunt, alys illum appellantibus lutum, ieiunum, exuctum, exanguem, elumbem ac dissolutum, mollem ac parum uirum, rursus alys tumidum, Asiaticum, ac superfluis redundantem, respondebis hęc esse vel inimicorum, vel inuidorum iudicia, qui* Triumuirali *proscriptione deiecti, famam etiam molitisunt, si minus extinguere, certe obscurare.* NOS. *Recte diuinas.* Nam *isthuc planè responsurus etiam, & optimo iure respondendum arbitror.* B V L. *Tribuantur sanè hęc iudicia vel odio, vel liuori, certe fateberis, opinor, cum eruditis omnibus, facetiam seu risum esse partem artis rhetoricę.* NOS. *Alioqui quorsum opus erat ab oratoribus tam*

multa de hoc præcipi? BVL. Nemo negat Ciceronem in iocando fuisse multum, alij nimium prædicant, tum in tempestiuum, & scurrilitati proximum. Certe modum illi defuisse, quemadmodum Demostheni facultatem, doctorum ferè consensus fuit, nec admodum repugnat Quintilianus, culpam in Tyronem conferens, qui nimium indulserit numero dictorum, ac plus in congerẽdis studij, quàm in eligendis iuditij adhibuerit. Verum hęc Tyronis accusatio in patronum recidit. Sed hęc utcunq; habẽt, quis unquã in hoc genere laudis primas tribuit M. Tullio? Lacedęmoniorum peculiaris hęc erat laus, & secundum hos Atticorum. Adeo vt cum pœma bucolicum, & comœdia lepore facetiaq; potissimum commendetur, ad hanc Venerem Latini ne aspirauerint quidem. Est igitur aliqua virtus oratoris, quę rectius petatur ab alijs quàm à Cicerone. NOS. Nos de Latinis agimus. BV. Age, audebimus ne Ciceronis iocos cum C. Cęsaris, aut cum Octauij Cęsaris dictis conferre? NOS. Vix ausim quod adhuc nemo doctorũ ausus est. BVL. Itaq; si res festiuitatem desideret, nõ mihi fas erit aliquid ex Octauij dictis effingere? NOS. Non si velis haberi Ciceronianus. BV. Rursus abs te quero, num sententias ponas inter ornamenta dictionis. NOS. Gemmę sunt & lumina, tantum abest, vt submoueam ab arte. BVL. Hic appello tuum iudicium, an in hoc genere laudis Cicero cęteris omnibus antecellat. NOS. Nõ me clàm est, quod Seneca Publium Mimographum in hac laude præfert omnibus. Verum non protinus oraculum est, quod Senecæ visum est qui ipse in sententijs immodicus est, & quibusdam friuolis indulget. HYP. Et istud Quintiliani,

& Auli Gellij iudicium reijci poterat, quod vterque videatur inuisum habuisse Senecam, alter ob ęmulationem alter ob ingenij dictionisq; similitudinem. BVL. At idem Gellius, quamuis parum ęquus, fatetur inter Senecę sententias esse, quibus nihil melius dici poterat. Nec fieri potest, vt omnes ęque felices sint, vbi sermo totus sententijs contextus est. Verum ex his facilius inuenias quod imiteris, quàm ex alijs in quibus nec crebrę sunt, nec insignes. Agedum, Non'ne res interdum exigit breuitatem? NOS. Fortassis. B. Huius exemplum vtrum rectius petes à Salustio, Bruto'ue, an à Cicerone? NO. Cicero breuitatem non affectauit. BV. In Demosthene laudatur vis orationis, hoc est, neruosum quiddã ac naturale, ab vtro hoc rectius petemus? NOS. De Latinis agebamus. BVL. Verum hæc sunt omnium linguarum communia. Rursum res interdum postulat seueritatem huius exemplum rectius'ne petemus à Cicerone, an à Bruto & Pollione? H. Vt pro hoc respondeam, ab his qui hac nota fuerunt insignes. B. Vbi negocium inuolutum, partitionibus explicandum vtrum à Cicerone petemus, an ab Hortensio, aut siquis Hortensio similis? N. Quid petemus ab eo, cuius pręter memoriam nihil extat? B. Verum disputandi gratia fingamus extare. N. Nihil opus fingere, veris ac notis agamus. B. Nemo nõ fatetur, fidem in oratore pręcipuam esse. Eam conciliat probitatis & grauitatis opinio, eleuat artis aut intemperantię suspicio. Habeatur sanè Cicero vir bonus, quod vix illi Fabius, licet impendeo faueos, audet tribuere, sed, quod dissimulari non potest, artem magis ostentat, de se plura gloriose commemorat, licentius in alios inue

bitur quã Cato Brutus, aut Cęlius, cui sanctitatem tribuit Quintilianus. Hanc itaque rerum exemplum non ne rectius petemus ab Aristide, Phocyone, Catone, Bruto, quàm à Cicerone? N. Videris huc venisse meditatus Ciceronis vituperationem. B. Minime gentium ò Nosopone. Si sermonis exitum patienter expectaris, intelliges & Ciceronis, & nostram agi causam. Ciceronis, ne forte per peram illum exprimentes, gloriã eius obscuremus, quemadmodum solent imperiti pictores eos traducere, quorum effigiem secus quàm oportet expresserunt. Nostram, ne male collocemus amores nostros, ac ridiculum quiddam nec minus infelix vsu veniat nobis, quàm quod obtigisse dicitur Ixioni, qui pro adamata Iunone, nubis inane simulacrum complexus est, aut Paridi, qui pro rapta Helena decem annis bellum gessit, quũ interim mendax Helenę simulacrũ amplecteretur, nimirum ipsa procul in Aegyptum deorum artificio sublata. quid enim nobis infelicius aut magis ridiculum, si tot laboribus nihil aliud, quàm inanem ac fallacem Ciceronis umbrę assequi contingeret? N. Isthuc omen auertant superi. B. Auertant inquam, & hoc agimus, ne quid simile eueniat. N. Nũ nihil & illud conducat ad imitationem Ciceronis, ut quàm optime sentiamus de Cicerone. B. Nouus candor, si melius sentiamus de Cicerone, quàm ipse sensit de seipso. Verũ tribuatur hoc illius modestię, si parcius de se prędicauit quis unquàm veterum sic admiratus est Ciceronem, vt ab vno petenda putarit omnia dictionis ornamenta? N. At hodie sunt quàmplurimi, quos hęc habet opinio. BVL. Nihil moror quamplurimos, cordatum ac verè doctum reor esse neminem. Cui mortalium hactenus sic indulsit

natura, vel in vna quapiam disciplina, vt vnus in singulis eius partibus excelleret omnes, vt non aliquid reliquerit in eo desiderandum, aut ita dederit, vt non ab alijs superaretur? Quanto id incredibilius in dicendi facultate, quæ disciplinis propemodum omnibus constat, tot alias res desiderat, quas nemo præceptis tradere possit? Pingamus hodie Ciceronem viuere, & esse quendam Trachalo simillimum, utrum malles à Cicerone uocas moderationem petere, an à Trachalo? Opinor ab eo qui hac parte prefertur omnibus. Pudoris ac modestiæ specimen vtrum malles à Crasso, si viueret, petere, an à Cicerone? Et ne de singulis commemorem, non ne sumeres à singulis, in quo cæteris antestarent? H. Quis non eligeret potiora, nisi qui vel non dijudicaret, uel sibi inuideret? B. Itaque mihi probatur Zeusidis exemplum, quod sequutus etiã Quintilianus, imitatori præcipit, nec vnum esse legendum, nec omnes, nec quoslibet, sed ex præcipuis deligendos aliquot eximios, inter quos Ciceroni primas tribuit, non solitudinem. Summum enim esse vult inter proceres, non solitarium exclusis cæteris. NOS. Si Quintiliani consilijs auscultabimus, idem nobis vsu veniet, quod euenit ipsi. BVL. Quid nam? N. Vt parum euadamus Ciceroniani. Nobis alius propositus est scopus. B. An parum erit Ciceronianum, cui quicquam accesserit quod à Cicerone petitum non fuerit? N. Sic autumant. B. Etiam si melius fuerit quod ab alio petitur aut ne sit quidem illud apud Ciceronem? N. Quid ni? BVL. Sed interim illud mihi cogites velim optime Nosopone, quãta pars Ciceronianorum voluminum interciderit, & in his diuinum illud opus De repu. cuius fragmentum ne-

scio quo fato seruatum, nihil aliud quàm desiderio reliquarum voluminum discruciat animos nostros, quæ cuiusmodi fuerint, hinc licet æstimare, leonem vt aiunt, ex unguibus. Ne *quid interim cõmemorem, de tot epistolarum libris, de tot orationibus iniuria temporum interceptis, de tribus voluminibus, quibus* Tyro *libertus iocos & scite dicta Ciceronis complexus esse legitur, deq; cæterorum huius viri scriptorum naufragio, qui potes igitur absolutus esse Ciceronianus, qui tam multa illius non legeris?* Adde *quod Cicero non tractauit cẽs materias. Ergo si forte dicendum fuerit de his quas ille non attigit, unde tandem petemus orationis supellectilem?* An *proficiscemur in campos* Elysios, *ab ipso percunctaturi, quibus uerbis ille talia fuerit dicturus?* NOSO. *Ea dumtaxat tractabo, quæ possint verbis* Tullianis *explicari.* BVL. Quid? An *non iudicas Ciceronem oratorum præstantissimum.* NOS. *Plusquam præstantissimum.* B. Quid. Apellem, *non ne pictorum optimum?* N. *Aiunt, & credo.* B. An *eum* Apelleum *appellares, qui non posset quarumlibet rerum imagines effingere, sed tantum eas quas ante pinxisset* Apelles? Atq; *adeo qui nõ omnes tabulas* Apellis *manu depictas conspexisset?* H. Quis *istud diceret, nisi si cui placet ille pictor, in quem iocatur* Horatius, *qui dato precio conductus ad pingendum naufragium, pinxit cupressum, & indignatum conductorem rogauit ecquid vellet appingi prominens è cupresso.* B. *quid aliud est esse Ciceronianum, q̃ illi simillimum esse?* N. *Nihil aliud.* B. An *ille similis videtur Ciceroni, qui non potest nisi de certis materijs dicere?* N. *Perge.* B. *Mihi ne oratoris qui-*

dem titulo dignus habebitur. Si Cicero quauis de re potuit optime dicere, is mihi Ciceronianus erit, qui quacunque de re valeat praeclare disserere, quemadmodum Apelli simillimus erit, qui & deorum & hominum, & animantium, & omnium denique rerum formas penicillo suo poterit adumbrare. NOSO. Equidem pulchrius esse duco tres epistolas scribere phrasi Ciceroniana, quàm centum volumina stylo quamlibet expolito, modo à Ciceroniano discrepante. BVL. Verum Nosopone si isthaec sententia sederit animo nostro, vereor futurum, vt non solum non euadamus Ciceroniani, sed ipsi etiam Ciceroni, a noi videamur. quaeso illud mihi bona fide respondeas, totum Ciceronem exprimendum censes, an mutilum? NOS. Et totum quantus est, & solum. BVL. Qui totum qui se totum non expressit? Rursus qui ea parte qua se nobis conspicuum fecit, mutilus est ac vix dimidiatus? Adde quod in his ipsis quę extant, aliquando sibi non satis fecit. Siquidem De inuentione libros, substituto Oratore, ueluti damnauit. Et orationem pro Deiotaro munus Leuidensae vocat. Ad hęc in his quę scripsit tantum non etiam recognouit, ipse Cicero non est Ciceronianus, cuiusmodi sunt libri De legibus, pręter alia multa. qui fiet igitur, vt totum quātus est ęmulemur, quem & mutilum habemus & truncum, & in nonnullis indolatum ac sui dissimilem? Nisi forte probaturus es illum, qui inchoatas Apellis tabulas aut rudes Lysippi statuas imitans speret se alterum Apellem aut Lysippum euasurum. Id si conspiceret Apelles ipse, quem ferunt ingenio candido liberoque fuisse, non ne clamaret, Quid facis κακόζηλε? Isthic non est Apelles.

Iam si quis sibi propesuisset insignem Lysippi *statuam effingendam, cui rubigo vitiasset mentum & os, aut ei parti non imposuisset artifex summam manum, grauaretur eius partis exemplum ab alio quopiam artifice sumere, an potius haberet illud, vt est corruptum & imperfectum æmulari, ne recedat ab exemplo cui semet addixit, quàm ex alterius artificis signo, quod deest supplere?* N O S. *Vt possimus, aiunt, quando vt volumus non licet.* B V L. *Alijs* Nosopone *rectius istud verbum vsurpabitur, qui quod in Cicerone diminutum est ex alijs scriptoribus sarciunt. Mallent enim ex vno omnia, vel quia promptius est, vel quia nullus illo dixit felicius verum quando id non est datum, ex alijs mutuantur.* Q*uid quod Ciceronem habemus non modo truncum ac lacerum, verum etiam ita deprauatum, vt si reuiuisceret, ipse, opinor, nec agnosceret sua scripta, nec restituere posset, quæ librariorum ac semidoctorum audacia, incuria, inscitiaq; corrupta sunt, quod malum* Teutonibus *potissimum imputat* Politianus, *quibus vt hic patrocinari nolim, ita puto nihilo minus inuectum mendarum ab audacibus quibusdam ac sciolis* Italis. *Vt ne commemorem interim supposititia, falsóq; titulo* Ciceronem *autorem mentientia. quo de genere sunt libri rhetorici quatuor ad* Herennium, *hominis quaquã indocti, sed ad* Ciceronem *balbi. Sunt & inter orationes, quæ non à* Cicerone *scriptæ, sed ab alio quopiam erudito exercendæ dictionis gratia confictæ videntur. Adiecta est nuper oratio pro* M. Valerio, *quæ solœcismus scatebat, tantum abest, ut Ciceroniana dici posit. Nec desunt qui Portij Latronis declamationem in*

Catilinam pro Ciceroniana legant oratione. Proinde si deuotis animis nos vnius Ciceronis imitationi dediderimus, citra delectum expressuri quicquid apud illũ compererimus, non'ne nosmet in summum cõiecerimus discrimen, ne quum diu multumq́; nosipsos torserimus, tandem Gotticas voces, aut Teutonum solœcismos pro Ciceronianis flosculis amplectamur æmulemurq́; ? N. Istud malum auertant Musę. B. Vereor ne Musis dormitantibus id nobis frequenter eueniat nosopone. Nec enim semel lis sum hunc vidimus. Fragmentum è Cicerone decerptum addito Germani cuiuspiam titulo, quã deridebant, quoties barbarum inclamabant, qui sibi ualde Ciceroniani videbãtur ? Rursus aliquid pridie confictum proferebatur in medium addebatur Ciceronis nomen, & fingebatur exemplar repertum in bibliotheca peruetusta, quàm exosculabantur, quàm adorabant diuinam illam, & inimitabilem Ciceronis phrasim ? Quid quod eruditi non negant in Ciceronis scriptis inueniri solœcismos inexcusabiles, quales & olim exciderunt & excidunt hodie viris eruditis, dum in varias res distracta cogitatione, magis sententię præcedentis meminerunt, quàm verborum, eoq́; fit, vt periodi clausula prioribus non respondeat. Quod genus sit, Diutius commorans Athenis quoniam venti negabant soluendi facultatem, erat animus ad te scribere, Initio versabatur in animo, volebam, aut statueram, post magis arrisit, in animo erat, quę voces eundum efficiunt sensum, sed parum congruunt, ijs quę pręcesserant. Quin Au. Gellius lib. vi. ca. decimoquinto. profert locum ex secundo libro Ciceronis De gloria, in quo manifesto lapsus

est,

est, versus aliquot Homericos ex Iliados η tribués Aiaci, quum ibi dicantur ab Hectore. An id quoque conabimur æmulari? Id profecto faciendum, si totum exprimemus. Ad hæc obseruatum memoriæq; proditum est, Ciceronem dixisse quædam quæ nemo doctus putauit imitanda, veluti quum ait, in potestatem esse, pro, in potestate esse. Ac sanè fieri potest, vt illud tem, pro te, fecerit in autographo calami fluxus, aut alius quispiam casus, aut in alijs exemplaribus librarius oscitans induxerit. Rursus in edicto M. Antonij M. Tullius veluti barbaram & Latinis inauditam vocem præscindit, pijssimus à pio, quum ea apud probatissimos Latinæ linguæ scriptores reperiatur. Idem vt solœcon in eo reprehendit quod scripsisset, facere contumeliam, quemadmodum dicimus Latine, facere iniuriam, quum apud Terentium, optimum, ni fallor, elegantiæ Romanæ authorem ita loquatur Thais. Nam si ego digna hac contumelia sim maxime, at tu indignus qui faceres tamen, opinor enim tacite repeti contumeliam. Idem ab his vocibus nouissime & nouissimus, ceu male latinis abstinuit quum eis non veriti sint vti M. Cato et Salustius. qua religione M. Tullium A. Gellius testatur vsum & in alijs multis dictionibus, quibus authores bene Latini, et ante illum & post illum frequenter vsi sunt. Fertur & geminum ß, scripsisse, quoties antecedebat longa vocalis, velut in caussa, visse, remissi, pro causa, vise, remisi. Num igitur totum Ciceronem imitantes abstinebimus ab his quę contra doctissimorum hominum sententiam vni Ciceroni non placuerunt, aut ea sequemur quę nulli docti uoluerunt imitari, ac nec excusare potuerūt? HYP.

Iſthuc quidem amantium eſt, etiam neuos earum quas amant exoſculari. B. *Age ſi totus erit exprimendus, nũ illius exemplo.* Muſis *&* Apolline *nullo ſcribemus verſus?* N. *Carmen excipio.* B. *Ne tu bonam eruditiõis partem excipis, dum carmen excipis. Ceterum quid vetat quominus vtamur hac exceptione, & in his virtutibus in quibus ab alijs ſuperatur* Cicero, *quemadmodum in hoc toto genere multis eſt inferior, ne dicam omnibus? quammultos uerſus admiſcet ſcriptis ſuis ex* Homero, Sophocle *&* Euripide, *parum feliciter verſos, pręter* Græcorum *exemplum in iambicis eam vſurpãs libertatem, quàm ſibi* Latini Comœdiarum *ſcriptores permiſerũt.* Tu *ſi quid ſimile voles facere, num vereberis ea felicius, ſi poſſis, ac minore licentia vertere, ne ſis parum* Ciceroni *ſimilis?* An *non dehoneſtat orationem ſolutam, qui verſiculos, quos vertendo facit ſuos, parum reliquæ dictioni congruentes admiſcet?* Tum *quoniam identidem ille ſuis libris adſpergit verſos* Ennianos, Neuianos, Pacuuianos *&* Lucilianos, *horridam illam et inconditam antiquitatem reſipientes, tibi religio erit ſimiles imò diſſimiles verſus ex* Virgilio, Oratio, Ouidio, Lucano, Perſió *ue proferre, quorũ lucubrationes, vt minus horroris, ita plus habent tum elegantię, tum eruditionis?* An *hic metues videri* M. Tullio *diſſimilis?* N. *Certe nonnihil receſſerimus ab eo, quẽ modis omnibus exprimere conamur.* B. Ad *quid eſt neceſſe ſemper ac modis omnibus eſſe ſimilem, quũ sępe potius ſit eſſe parem, & interdum facilius ſit ſuperare quàm ęquare, hoc eſt meliora ſcribere, quàm ſimilia?* NOS. *Meliora* Ciceronianis *ne* Muſas *quidem ipſas dicturas opinor.*

HYP. Fortaße poßent, si neruos intenderent, & non ictu in cœnatæ scriberent ad lucernulam. BVL. Ne quæso commoueare Nosopone, semel stipulatus sum, impune dicendi quæ viderentur potestatem. Si quis sit usq; adeo deditus addictusq; Ciceroni, quemadmodum nos hactenus sumus, an non periculum sit, ne cæcus amore, uel pro uirtutibus admiretur uitia, uel sciens ipsa quoq; uitia effingat? NOSO. ἡράκλεις, in Cicerone uitia? BVL. Nulla, nisi forte solœcismus vicium est apud alios, apud Ciceronem non est. At solœcismos, vt diximus, eruditi commonstrant in libris M. Tullij. Nisi labi memoria vitium non est, et hoc commostratum à doctis. Si vitium non est immoderata mentione propriarum laudum etiam illum grauare cui patrocinaris, quod in Milonis defensione factum testatur Asconius Pedianus & vix vsq; non submolestus est hoc affectu Cicero, non sine causa, vt eleganter inquit Seneca, sed sine fine glorians. Et haud scio vtrare sit intemperantior, de se gloriando, an alios insectando. Quodcunq; colore defenderimus hæc, illud inficiari non poterimus, hac duntaxat in parte, rectius exemplum ab alijs peti poße. NOSO. Mißum faciamus sermonem de moribus, de viribus ac virtutibus eloquendi nobis instituta est disputatio. BVLE. Ego vero lubens mißum fecero, nisi rhetores ipsi contenderent, bonum oratorem eße non poße, qui non sit idem vir bonus. Verum age, num tibi videtur eße vitiosam compositio, si dictio sequens incipiat ab ijsdem syllabis, in quas desijt præcedens velut Echus imaginem ludicram referens? Quod genus si dicas, ne mihi dona donato, ne voces referas feras, ne p

imperitos scribas scribas Basso. N. Fateor *ineptam & absurdam compositionem.* B. *Atqui talem proferunt ex anasio nostro* Cicerone, O *fortunatam natam me consule* Romam. NOS. *Iam semel carmen excepi.* BV. *Per me licebit, modo simul excipias illud, totum* Ciceroné. *Sed nondum elapsus es.* En *ubi nihilo meliorem compositionem ex oratione soluta refert* Q *uintilianus.* Res *mihi inuisæ visæ sunt* Brute. Aut *si malis Ciceroniano sonare more, inuisæ sunt.* Ne *quid calumnier interim de duobus molossis in clausula.* NOS. *Isthuc excidit in epistola familiari.* BVL. *Nihil repugno, tantum quæro, num existimes imitandum? Certe fateris aliquid posse dici melius.* NOS. *Nescio.* B. *quid hic memorem de vocalium crebra collisione, quæ reddit hiulcam & inamœnam orationem? An non hoc quoque notatum est à doctis in Cicerone?* Neglexit, *inquies, nihil reclamo, modo fateamur quiddam esse quod apud alios aut non sit, aut sit melius.* Rursus *ex te quæram, ecquem nouisti scriptorem tam uigilantem, tamque felicem, vt non alicubi dormitauit?* N. *quid mi homines erant.* B. Inter *homines igitur numeras Ciceronem?* N. Interdum. BV. *Vtrũ igitur putes esse consultius, imitari dormitantem* Tullium, *an vigilantem Salustiũ, aut* Brutum, *aut Cæsarem?* H. *quis non mallet vigilantem exprimere?* BV. *An non sic Homerũ imitatus est* Vergilius, *vt multa correxerit, nonnulla reliquerit? Non'ne sic Hesiodum, vt nusquam non vicerit?* Non'ne *sic Oratius est Lyricos græcos æmulatus, vt ex vnoquoque decerpens quod esset bellissimũ, omnes post se reliquerit?* Ego, *inquit, apis,* Martinæ More, *modoque* Grata *carpentis thyma per laborem*

Plurimum, circa nemus, vuidi qui Tiburis ripas, operosa paruus Carmina fingo. An non sic imitatus est Lucilium, vt quędam in illo sciens prętermiserit, ab alijs sumpturus quod imitatione dignius esset? Quid alios cómemorem? num ipse M. Tullius *tam admirabilem eloquentiam ex vno quopiam contraxit? An potius excussis Gręcorum pariter ac Latinorum philosophis, historicis, rhetoribus, comicis, tragicis, lyricis, demum ex omni scriptorum omnium genere suam illam diuinam phrasim collegit, contexuit, absoluit? Si modis omnibus libet imitari Ciceronem, & hoc illius exemplum imitemur.* H. *Non absurde mihi Nosopone loqui videtur* Bulephorus. B. *Quid? an non hoc ipse docuit Cicero caput artis esse dissimulare artem?* Friget *enim, & fide caret, ac velut insidiosa timetur oratio, quę significationem artis dedit. Quis enim ab eo non metuat, qui fucum & vim parat animis nostris?* Itaq; *si feliciter Ciceronem imitari volumus, dissimulanda cũ primis est ipsa Ciceronis imitatio. At qui nusquam discedit ab illius lineamentis, qui verba, figuras, numeros ex illo concinnat, quędam imitans etiam non imitanda, veluti quidã* Platonis *discipuli, adductis humeris pręceptorem referebãt* Aristotelis *auditores subalbum quiddam in loquendo, quod in eo fuisse legitur, reddebant, quoniam manifesto prae se fert imitandi studium, cui videbitur ex animo loqui, aut quid laudis assequetur denique?* Nimirum *id quod assequuntur ij qui scribunt centones. Delectant fortassis, sed paulisper, sed ociosos duntaxat, caeterum nec docent, nec mouent, nec persuadent. Summa laus est, probe tenet* Virgilium, *multo sudore con-*

cinnauit emblemata. NOS *Quo magis elucebit imitatio, hoc magis habebor Ciceronianus. Hęc est uotorum summa.* B V L. *Recte dicis, si facundiam ostentationi paramus, non vsui. Verum plurimum interest inter histrionem & oratorem. Ille delectasse satis est; hic etiam prodesse studet, si modo vir bonus est, quod si non est, nec oratoris nomen tueri poterit. Iam demonstrauimus, opinor, in Cicerone quędam esse vitanda, quædam in eo desiderari, quędam sic adesse, vt in his ab alijs hac parte felicioribus superetur. Sed donemus, nullum esse virtutum aut ornamentorum genus, in quo non sit cęteris vel par vel superior, certe in alijs alia magis eminent ob raritatem, quę in M. Tullio ornamentorum densitate velut obscurantur, perinde quasi si certas stellas notare velis, facilius id facies si raræ luceant, quã si tota cœli pars pariter insignibus obsita sit. Itidem si vestem conspicias totam gemmis obtectam, minus te capient singulę.* N. *qui totum imbibit Ciceronem, non potest aliud q̃ Ciceronem exprimere.* B. *Eodem reuoluimur. Fatebor eloquentem, qui Ciceronem feliciter expresserit, sed qui totum, exceptis vitijs, & ne sim iniquior, unà cum ipsis vitijs, modo totum. Feremus illud subinane, feremus mentum leua demulceri, feremus & collum oblongum atq; exilius, feremus perpetuam vocis contentionem, feremus indecoram parumq; virilem in initio dicendi trepidationem, feremus iocorũ intemperantiam, & si qua sunt alia, in quibus M. Tullius uel sibi, uel alijs displicuit, modo simul & illa exprimant, quibus ista uel texit ille uel pensauit.* NOS. *Vtinam id mihi contingat ante supremum vitæ diem,* BV. *Isthuc*

vt contingat nunc agimus Nosopone. At uide quã multa, quàm paucis complectitur, qui totum dicat Ciceronem. Sed ò Musæ quantulam Ciceronis portionem nobis referunt isti Ciceronis simij, qui vocculis, formulis, tropis, & clausulis aliquot, hinc atq; hinc ceu corrogatis summam modo cutem, seu bracteam potius Ciceronis nobis exhibent. Sic olim Atticum dicendi genus quidam æmulabantur, quum interim essent arridi, ieiuni, frigidiq;, semper, ut ait ille, manum intra pallium habentes, nec subtilitatem, nec sanitatem, nec gratiam Atticorũ vlla ex parte possent assequi. Optimo iure quintilianus irridet quosdam, qui se germanos Ciceronis haberi volebant, quod aliquoties his vocibus absoluerent clausulam, esse videatur, propterea quod ea semel atq; iterum Ciceroni forsitan excidit, si periodum longiore ambitu circunduxissent, quod in initijs præsertim nonnunq̃ fecit ille, Nec hodie parum multi sunt istorum similes, qui sese valde mirantur & alteros vt aiunt, Cicerones esse credunt, si prima uox orationis sit, q̃q̃, aut etsi, aut animaduerti, aut quum, aut si, quod officiorum libros sic ordiatur Marcus Tullius, Quãquam te Marce fili, periodum uix nono uersu absoluens. Et pro lege Manilia, Quanquam mihi semper. Laudatissimam illam pro Milone orationem sic auspicatus est, Et si uereor, iudices. Rursus Philippicarum duodecimam, Et si minime decere uidetur. Item pro C. Rabirio, Etsi quirites. Et epistolis aliquot simile est initium. Et haud scio an isti libros ad Herennium ob id tribuant Ciceroni, quod ab etsi, accipiat exordium. Porrò de finibus bonorum lib.. m quintum sic incipit, Quum

audiuissem Antiochum Brute. Tusculanas quęstiones sic auspicatur, Quum defensionum laboribus. Et eiusdem operis quartum librum, quum multis in locis nostrorum hominum ingenia. Pro, L. Flacco, Quum in maximis periculis. Item pro domo sua ad Pontifices, quum multa diuinitus. Iterum pro Plantio, Quũ propter egregiam. Ad hęc librum de natura Deorum primum, quum multę res in philosophia. Et Scipionis somnium, quum multæ res in Africa. Pro Rabirio dicens sic orditur, Animaduerti iudices. Rursus ad Brutũ de paradoxis Stoicorum, Animaduerti Brute. Pro L. Cornelio Balbo sic orditur, Si autoritas patronorum. Pro P. Sestio, Si quis antea iudices. Pro Cecinna, Si quãtum in agro. Pro Archia poëta, Si quid est in me ingenij. In Vatinium testé, Si tua tantummodo Vatini. Ad equites iturus in exilium, Si quando inimicorum. Ad Senatum post reditum. Si P. C. vestris. Pro M. Cęlio. Si quis iudices. De prouincijs consularibus, Si quis vestrum. P. C. quid autem magis ridiculum, ac Ciceroni dissimilius esse possit, quàm nihil habere Ciceronis pręter tales voculas in orationis exordio? de quibus si quis percontetur Ciceronem, quur ab ijs vocibus sit orsus, respõdebit, opinor, quod in insulis fortunatis Luciana respondit Homerus, roganti, quur primam Iliadis dictionem voluerit esse μῆνιν nam hęc quęstio multis seculis torserat grammaticos, illud, inquit, tum forte venit in mentem. Consimilis impudentię sunt, qui sibi plusquam Ciceroniani videntur quot aliquoties insulciant, etiam atque etiam pro vehementer, & maiorem in modum pro valde, identidem pro subinde, quum & tum quoties inæqualis momenti

sunt quę connectimus, tum & tum quoties ęqualis, tuorum in me meritorum Quid quęris, pro in summa, aut breuiter. Non *solum peto verum etiam oro contendoq́;. Ante hac dilexisse tantum, nunc etiam amare mihi videor.* V*aletudinem tua cura, & me vt facis ama,* Non *ille quidem vir malus, sed parum diligens, qua loquutionis formula sic* M. T*ullius videtur delectatus, vt in eadē pagina crebro repetitam inuenias.* S*imile est, quū per illud, pronomen indicat nō quod pręcessit, sed quod mox sequitur.* E*t in epistolis fortassis semel atq; iterum dixit, cogitabam in* T*usculanum, itaq;* C*iceronianus sibi videtur, qui subinde dixerit,* R*omam cogitabam, pro eo quod erat, in animo habebam, siue statueram proficisci* R*omam* M. T*ullius anni numerum non ascribit epistolis, sed tantum mensis diem, &* C*iceronianus nō erit, si quis à* C*hristi natali annum ascripserit, quod sępe necessarium est, semper vtile?* I*idem non ferunt, si quis honoris gratia, nomen eius ad quem scribat suo pręferat, quod genus sit,* C*arolo* C*ęsari* C*odrus* V*rceus salutem,* P*ar flagitium existimant, si quid dignitatis, aut laudis addas proprio nomini, velut inclyto* P*annoniæ* B*oœmiæq́; regi* F*erdinando,* V*elius salutem dicit.* N*ec* P*linio* I*uniori possunt ignoscere quod* S*uum appellat, si quando scribit amico, quum eius facti nullum apud* C*iceronem extet exemplum.* V*t parum* T*ullianus reijcietur, qui, quod exemplum a principum officijs mutuati docti quidam nuper vsurpare coeperunt summam eius epistolæ, cui respondere parat, in initio proponat, quod id nusquam factum sit à* M*arco* T*ullio.* N*oui quosdam notatos vt solœcos, quod in salutat*

tione pro S.D. posuerint S.P.D. Id est, salutem plurimam dicit, quod negarent hoc apud Ciceronem inueniri. Nonnulli vero putant & illud Tullianum esse, salutationem non in fronte, sed in tergo literarum ponere, quod his verbis admoneretur Lator, quas quibus deberet reddere, non sine salutationis officio. Quantula res facit, vt ab hac palma decidamus? Multo vero minus erit Ciceronianus, qui salutarit hac formula, Hilarius Bertulphus, Leuino Panagatho totius hominis salutem, aut salutem perpetuam. Verum hic quoque longius aberit à Ciceroniano, qui sic orsus fuerit epistolam. Gratia, pax & misericordia à deo patre, domino Iesu Christo. Item qui pro, cura vt recte valeas, ita claudat epistolam, Sospitet te dominus Iesus, aut, incolumen te seruet dominus totius salutis autor. quos risus, quos cachinnos hic tollent Ciceroniani? quid autem admissum est piaculi? An non verba Latina sunt, munda, sonantia, atque etiam splendida? Iam si sensum introspicias, quãto plus est hic quàm in Salutem dicit, & bene vale? quid vulgarius quàm dicere salutem? Præstat hoc officium herus seruo, inimicus inimico, quis autem crederet esse Latinum dicit illi salutem, & iubet illum saluere, nisi nobis sermonem hunc veterum consuetudo commendaret? Hoc in aditu. Iam in digressu vale dicimus & his quibus male precamur. quãto melior Emphasis in formulis Christianorum, si modo vere & ex animo simus Christiani. Gratia declarat gratuitam condonationem admissorum, pax quietem & gaudium conscientiæ, quod deum pro irato habemus propitium, misericordia dotes varias & corporis & animi, quibus suos locupletat arcani spi

ritus benignitas, quoq; magis speremus nobis hæc fo-re perpetua, additur, à deo patre domino nostro Iesu Christo. Quum patrem audis, ponis seruilem trepidationem, ascitus in affectum filij, quum dominum audis confirmaris aduersus vires satanæ. Non deseret ille quod tam care redemit, & vnus potentior est vniuersis satanæ cohortibus. Quid suauius his verbis ei, qui iam hæc apud se sentit, quid vtilius hac admonitione ei qui nondum in hunc affectum transit? Verbis itaq; non vincamur imò vincamus potius, sententia longe superamus. Restat illud decorum & aptum quod vbiq; cum primis spectandum est. Ad hæc quanto magis conueniunt homini Christiano, quàm illa, salutem dicit, & cura vt valeas? Tantum facessat illa puerilis imaginatio, non sic loquutus est Cicero. Quid miri, si non sic loquutus est, quum rem ignorarit? quot milia sunt rerum, de quibus nobis frequenter dicendum est, de quibus Marcus Tullius ne somniauit quidem? At si uiueret, nobiscum eadem loqueretur. An non igitur frigidi videntur imitatores, qui talium rerum obseruatiunculis referunt Marcum Tullium, ac dissimulatis tot diuinis viri virtutibus, numeris tropis, formulis ac dictiunculis, ea imitantur, quæ Marco Tullio vel placuerunt, vel crebrius exciderunt? Hæc ad te quidem nihil attinent Nosopone, sed tamen, quoniam incidit vt de Ciceronis imitatoribus loqueremur, & hæc commemorare non ab re visum est. Hoc hominum genus, & nobis & ipsi Ciceroni pariter inuisum esse debet, nobis, qui vere Ciceronem conamur exprimere, quia per istos vocamur in iocum &

fabulam, dum ex illorum æstimamur stultitia, Ciceroni, qui per tales, vt ante diximus, imitatores non aliter infamatur, quã bonus præceptor per malos discipulos, probus vir per improbos liberos, formosa mulier per imperitum pictorem. Perspexit hoc Quintilianus, dum queritur Senecam infamari quorundam immodico studio, qui vitia duntaxat imitabantur, itaq; fiebat vt qui Senecam non legerant, ex illorum scriptis Senecæ facundiam æstimarent. quemadmodũ autem nulli magis se iactant venditantq; de præceptorum ac maiorum nomine, quàm indocti discipuli & improbi filij aliunde captantes virtutis opinionem quum suis bonis eam conciliare non queant, ita nulli gestiunt insolentius nomine Ciceronis, quàm qui Ciceronis sunt dissimillimi. Noui medicos insigniter artis quàm profitebantur imperitos, qui quo quæstum facerent vberiorem, celebris alicuius medici, quem vix viderant, se discipulos iactitabant, rogatiq; quur præter artem hoc aut illud ministrarent ægrotis, conuicio respondere solent, Num tu illo doctior? Hũc præceptorem sequor. Atqui illius quem nominabant penè nihil imitabantur, præter vitanda potius quàm æmulanda, puta si forte celebris ille, fuit in respondendo consultoribus difficilior aut morosior, vel in exigenda mercede durior. quo tandem animo credis egregium illum medicum esse erga tales discipulos? HYP. Haud dubium quin pessimo, nisi prorsus nullam habet existimationis suæ rationem. BVL. quò nam reliquos eiusdem medici veros ac germanos discipulos? HYP. Aeque malo, quod apud vulgus tales habentur discipuli, qualem experiuntur illum gloriosum impostorem. At-

qui si pateris vt orationis tuę cursum interpellem faxo vt videas. B V L. Licet. H Y P. Quidam casu viderat Erasmum scribere calamo, cui ob breuitatem additum erat lignum, cœpit illico suis pennis alligare baculum atq; ita sibi visus est Erasmico more scribere. Sed perge obsecro. B V L. Nec illepidum est, nec ἀπροσδιόνυσον quod narras. Cęterum vt institutum prosequar. An non audimus patres familias obiurgantes male moratos filios, Vos me redditis infamem & inuisum ciuibus meis, vos obscuratis imagines maiorum, pudet me talium liberorum, si pergitis, abdicabo uos? Non'ne ad consimilem modum audimus interdum fratrē indignari fratri, quod illius improbis moribus detrimentum opinionis suæ capiat? Hoc animo probabile est Ciceronem esse in istos ridiculos simios, hoc animo nos esse decet, qui illius γνήσια τέκνα studemus haberi. N O S. In re tam præclara nonnihil est vel vmbram assequi. BVL. Sit hoc aliquid ijs, quibus satis est vmbras vocari Ciceronis, ego nec Apollinis vmbram dici me cupiā. Malim enim esse unius Crassus, quàm umbraticus Cicero. Verum vt quod instituimus peragamus, fac esse qui totum Ciceronem in verbis, figuris & numeris exprimat, quod ipsum tamen an multi possint nescio, quantulum is habebit Ciceronis? Sit hoc in imitando Cicerone, quod Zeusis fuit in effigiando corpore muliebri. Expressit liniamenta, colorem, ætatem, & vt summum artificium prę stiterit, affectus nonnihil, hoc est, dolentis, gaudentis, irati, metuentis, attenti, aut dormitantis. Hæc qui prę stitit, non'ne quicquid ars potest absoluit? Quantum licuit, viuam hominis speciem in mutum si-

mulachrum transtulit. Nec aliud exigi potest à pictore. *Agnoscis formam eius quæ depicta est, vides ætatem & affectus, fortassis & valetudinem, adde quod à quibusdam effectum legimus, agnoscit indolem & mores & vitæ spacium physiognomon. Sed immane quãtum illic abest hominis? Quod ex summa cute conijci potest, expressum est. Cęterum quum homo constet ex anima & corpore, quantulum illic est vnius partis, eiúsq; deterioris? Vbi cerebrum, vbi caro, vbi vænæ, vbi nerui et ossa, vbi intestina, vbi sanguis, spiritus & phlegma, vbi vita, vbi motus, vbi sensus, vbi uox & sermo, deniq; vbi quæ sunt hominis propria, mens, ingenium, memoria, consilium? Quemadmodum quæ sunt hominis præcipua, pictori sunt inimitabilia, ita summas oratoris virtutes nulla assequitur affectatio, sed à nobis ipsis sumamus oportet. Verum à pictore nihil aliud exigitur, si præstitit, quod unum ars profitetur, à nobis, si totum Ciceronem exprimere volumus, multo aliud requiritur. Si nostrum simulachrum, quo M. Tullium effingimus, careat vita, actu, affectu, neruis & ossibus, quid erit imitatione nostra frigidius? Sed multo magis erit ridiculum, si tuberibus, neuis, cicatricibus, aliaue membri deformitate demũ efficiamus vt lector agnoscat nos legisse Ciceronem.* H. *Istius generis pictor quidam nuper risui nobis fuit, susceperat effingendum ad viuam formam Murium sodalem nostrum, quumq; veram hominis formam reddere non posset, circumspectabat si quid haberet in corpore seu uestitu notabile. Aestate cœperat, iamq; magna ex parte tabulam absoluerat, pinxerat anulum quem gestabat, pinxerat crumenam*

& cingulum, tum pileum capitis diligenter expressit. Animaduertit illi in leuę manus indice esse cicatricem, eam expressit accurate. Tum in dextra, qua manus peninsula brachio committitur, tuber insigne, nec hoc praetermisit. Rursus in supercilio dextro pilos aliquot in diuersum flexos reddidit. Item in bucca leua cicatricem effinxit, vulneris vestigium. Vbi reuersus, nam crebro redibat ad exemplar, vidisset barbam demessam, affinxit nouum mentum, rursus vbi barbam aliquantulum prouenisse, quia magis id placebat, mutauit illi mẽtum. Interim oborta est Murio febricula, ea, vt solet recedẽs, in labrum eruperat, pictor expressit pustulam. Tãdem venit hyems, sumptum est aliud pileum, mutauit ille picturam sumpta est vestis hyberna pellibus subducta, pinxit nouam vestem. Rigor mutarat colorem, & cutem, vt solet, contraxerat, mutauit totam cutem, inciderat pituita, quę sinistrũ oculum vitiarat, & nasum, dum frequenter emungitur, reddiderat & aliquanto maiorẽ & multo rubicundiorem, pinxit illi nouum oculum & nasum nouũ. Si quando vidisset impexum, exprimebat capillorũ inęqualitatem, rursum si pexum, cõponebat capillitium, forte dormitabat Murius dum pingeretur, expressit dormitantem, sumpserat pharmacum hortatu medici, ea res addidit aliquid senij, mutauit faciẽ. Si veram ac natiuã hominis formam potuisset exprimere, nõ confugisset ad haec πάρεργα. Itaq; si ad istum modum imitemur Ciceronẽ, non'ne merito clamet in nos Ora. O imitatores seruum pecus, vt mihi sępe Risum, sępe iocum vestri mouere tumultus? Sed finge nos feliciter expressisse in Cicerone quicquid hominis exprimere po-

test absolutus pictor, vbi pectus illud Ciceronis, vbi rerum tam copiosa, tam felix inuentio, vbi dispositionis ratio, vbi propositionum excogitatio, vbi consilium in tractandis argumentis, ubi vis in mouendis affectibus, vbi iucunditas in delectando, vbi tam felix ac prompta memoria, vbi tantarum rerum cognitio, deniq; ubi mens illa spirans etiamnum in scriptis, vbi genius ille peculiarem & arcanam adferens energiam? Haec si absint, q̃ erit frigidum imitationis nostrae simulachrum? NOSO. *Ista diserte tu quidem* Bulephore, *sed quorsum spectant, nisi vt adolescentes ab effingendo Cicerone deterreas?* BVL. *Bona verba* Nosopone. *Quin potius eò spectant haec omnia vt contempto simiorũ quorundam inepto tumultu,* Ciceronem, *quatenus licet, & totum, & feliciter imitemur.* N. Hic *sanè rem eandem agimus.* BVL. Id *ni fiat dextre, futurum est vt sedulo quidem, sed parum feliciter ęmulando,* Ciceronis *dissimillimi reddamur.* Nihil *enim periculosius esse scito, quàm affectare* Ciceronis *imaginem. Male cessit gigãtibus affectasse sedem* Iouis. *Nonnullis exitium attulit euocasse deos. Periculosę plenum opus aleę est, diuinam illam & humana natura supiorem exprimere linguã.* Cicero *nasci fortassis potest aliquis, fieri nemo.* NOS. Q*uia virtutes illius vt summę sunt, ita vitijs sunt proximę. Porrò fieri non potest quin imitatio defluat ab eo, quod sequi tantum, non etiam vincere studet. Proinde quo impensius affectas illius simulachrum, hoc vitio* propiores. N. Non *satis intelligo quid dicas.* BVL. *Efficiã vt intelligas. Non ne medici corporis optimam valetudinem praedicant periculosissimam, quod aduersae*

valetudini

valetudini sit proxima? NOS. Audiui. *Quid tum postea?* BVL. *Summa monarchia non ne tyrannidi proxima est?* NOS. Aiunt. BVL. *Et tamen summa monarchia nihil est melius, si absit tyrannis. Et summa liberalitas non ne vicina est profusionis vitio? Et summa seueritas non affinis est truculentiæ.* NOSO. *Sane.* BVL. *Et summa festiuitas, vrbanitasq; non ne ad scurrilitatis ac leuitatis accedit viciniam?* NOS. *Desine commemorare cætera, finge me de singulis esse confessum.* BVLE. *Prius audies illud Oratianum, Breuis esse laboro, Obscurus fio, sectantem lenia, nerui Deficiunt, animiq; professus grandia turget. Ita qui affectant* Atticismum, *pro argutis ac venustis fiunt aridi, qui genus* Rhodiense, *dissoluti, qui Asiaticum, tumidi.* Laudata *est in* Salustio *compositionis breuitas, non ne si quis hanc superstitiose conetur æmulari, periculum sit ne concisus & abrutus euadat?* NOS. *Fortassis.* BVL. *Prędicatus est in* Demosthene *verborum & argumentorum modus, cui nihil possit detrahere.* NO. *Ita censuit quintilianus.* B. *Ad hanc laudē ęmulandam si quis componat se anxie, quo* Demosthenicus *uideatur, periculo vicinus est, ne minus dicat quàm oportet. Applauditur* Isocratis *structuræ numerisq;. Huc qui vehementer annitatur, in periculum veniet, ne superstitione compositionis sit molestus, & artificij iactatione fidem amittat. Senecę laudata est copia. Huius incautus ac sedulus ęmulator periclitatur, ne redundans & immodicus euadat pro copioso,* Bruti *grauitatem si æmuleris anxie, fortassis tristis & asper euades.* Laudatur Crispi *iucunditas. Huius æmulator veniet in discrimen,*

N

ne pro iucundo fiat ineptus aut leuis. Noui qui quum mirabilem illam Ouidij facilitatem conarentur exprimere, versus effutirent, & neruis & spiritu carentes. Et ne singulos commemorando tibi fiã molestus, dicam in genere quod restat. In quibusdam eminet argumentandi subtilitas. Hanc qui vehementer affectat, periclitatur, ne vel frigidus, vel obscurus euadat. In alijs admiramur felicem artis neglectum. Hoc qui contendit effingere, fortassis in vulgare dicendi vel potius garriendi genus incidet. In alio dilucet summa artis obseruatio. Id qui nitatur exprimere, incidet in scenicum quoddã dicendi genus. Atticæ frugalitati proxima est exilitas, copioso verborũ fluxui vicina est loquacitas. Summam in mouendis affectibus δεινῶσιν excipit insaniæ species, vt granditatem fastus, asseuerandi fiduciam improbitas. N. Confessa prędicas. B. Ex his vero sunt quędam quæ sic eminent in authoribus, vt pro vitijs habendæ sint, nisi iunctis virtutibus pensarentur, quemadmodum in Seneca compositionis abruptum, & sententiarum immodicam densitatem, multæ virtutes excusant, vt præceptorum sanctitas, verborum rerumq; splendor ac iucunditas orationis. Nec Isocrates laudaretur compositio nisi perspicuitas dictionis & sententiarum grauitas illi patrocinaretur. N. Nihil adhuc audio falsi, cęterum quorsum hęc tendant nondum video. B. Nimirum huc. Quum in vno Cicerone tam multa sint huiusmodi, periculosa mihi videtur illius superstitiosa et addicta ęmulatio, quando virtutes quibus ista vel commendauit, vel texit, ęmulari non possumus. NOS. Quę nam ista dicis? BVLE. Tam fluidum est illi dictionis genus,

vt remissus ac solutus alicubi videri queat, tam exuberans verborum copia, vt redundans, tam artis obseruans, vt declamatori quàm oratori proprior fidei, iactura captans artificij gloriam, tam liber in insectando, vt maledicus haberi possit, tam effusus in iocos, vt Catoni consul risum mouerit, tam blandus alicubi, vt abiectus, tam compositus, vt seuerioribus ingenijs mollis ac parum vir dictus sit. Hęc *vt fateamur in* Cicerone *vitia non esse, propter insignem illam naturę felicitatem, quam decere quę facit omnia, vt etiam virtutes sint, sic tamen in sunt, vt ob viciniam non careant specie vitiorum sub iniquo iudice, attamen illi reprehensionem omnem eximijs ac pluribus virtutibus pensauit, vt omnium iudicio calumniator & imprudens habeatur, qui conetur aliquid in huius oratione reprehẽdere.* Verum *has virtutes non studemus exprimere, & si* Fabio *credimus, sunt immitabiles, nec ab exemplo pręceptis'ue peti possunt, sed à* Minerua. *Hę vero si absint, qualis erit eorum, quę commemorauimus, imitatio?* Colligi*mus igitur, nullius imitationem esse periculosiorem, q̃* Ciceronis, *non tantum eo nomine quod summus orator & extra omnem ingeniorum aleam positus est (quo titulo* Flaccus *ab ęmulatione* Pindari *deterret, videlicet* Icari *exemplo) verum etiam quod pleraq; in illo sic summa sunt, vt vitijs sint proxima. Hic nimirum pręcipitij discrimen.* N. *At prius conueniebat inter nos, quę maxime eminent ad imitationem esse accommodatissima, quo videlicet, vt nonnihil decidas ab eo quod effingere studes, tamen laudem auferas rectę dictionis.* BV. *Aliud est eadem reddere, aliud similia, aliud im-*

tari præscriptum, aliud seruire, nec aliud quàm sequi. Deniq; defluit ab exemplo, qui non reddit & illa, quæ reprehensionem excludunt. Atqui hæc fabius indicat ferè immitabilia felicibus etiam ingenijs. N O S. Atq; ego ad huius laudis ambitum non recipio nisi vehementer eximia quędam ac dijs proxima ingenia, quibus si accesserit in defatigabile studium, ita demum spes est fore, vt feliciter exprimant phrasim Tullianam. B. Fortasse, sed ita raros, vt numerari non valeant. Iam sunt arguti quidam qui distinguunt imitationem ab æmulatione. Siquidem imitatio spectat similitudinem, æmulatio victoriam. Itaq; si totum & vnum Ciceronem tibi proposueris, non in hoc tantum vt illũ exprimas, verum etiam vt vincas, nō prætercurrendus erit, sed relinquendus magis. Alioqui si illius copię velis addere, fies redundans, si libertati, fies petulans, si iocis, fies scurrilis, si compositioni, fies pro oratore cantor. Itaq; fit, vt si Tullium ęquare studeas, pericliteris, ne hoc ipso peius dicas, quod diuinas hominis uirtutes, quibus ea pēsauit, quę vel vitia sunt, vel vitio proxima, non possis assequi, cętera nimirum assequutus; sin coneris & anteuertere, etiā si in illis, quę nullo studio possis assequi, paria cum illo facias, tamen vitiosum erit, quicquid Ciceroni fuerit adiectum; de quo vere pronuntiatum videtur, quod illius eloquentiæ nihil possit adimi, quemadmodum Demosthenis, nihil demi. Vides Nosopone periculum. N. Nihil me terret periculum, modo tandem hoc laudis assequi liceat, vt dicar Ciceronianus. B V L. Hæc omnia si contemnis, est alius scrupus qui magis vrget animum meum, si non grauaberis audire. N O S O. Vtere pa

ctis arbitratu tuo. BVL. *An censes vllum hominem eloquentis nomen promereri, qui non dicat apte?* NOS. *Nequaquam, quando quidem hæc præcipua virtus est oratoris, apposite dicere.* BV. *Verum illud appositum, unde perpenditur, non'ne partim à rebus de quibus uerba fiunt, partim à personis, tum dicentium, tu m audientium, partim à loco, tempore, reliquisq; circunstantijs?* NOS. *Maxime.* B. *Ciceronianum autem non'ne præstantem oratorem esse vis?* NOS. *Quid ni?* BVL. *Itaq; non erit Ciceronianus, si quis in theatro disserat de Stoicorũ paradoxis, deq; Chrysippeis argutijs, aut apud Areopagitas in capitis discrimine lasciuiat facetijs, aut de re culinaria, verbis ac figuris tragicorum loquatur.* NOS. *Iste nihilominus ridiculus erit orator, quàm si quis in tragico cultu saltet Atellanas, aut feli, quod est in prouerbijs, inducat Crocoton, simiæ purpuram, Bacchum aut Sardanapalum leonis exuuio, & claua exornet Herculis. Nihil enim laudis meretur q̃libet per se magnificum, si sit ineptum.* BVL. *Et commode respondes & vere. Ergo M. Tullius qui suo seculo dixit optime non optime dixisset, si ætate Catonis Censorij, Scipionis aut Ennij simili modo fuisse loquutus.* N. *Non tulissent aures comptum illud et numerosum dictionis genus, nimirũ horridioribus assuetę. Nam istorũ oratio moribus illorum temporum congruebat.* BV. *Dicis igitur orationem quasi vestem esse rerum?* NOS. *Aio, nisi mauis picturam dici.* BVLE. *Vestis igitur quæ decora est puero, non decet senem, nec quæ fœminæ congruit conueniret viro, nec quæ decet in nuptijs, deceret in funere, nec quę laudi dabatur olim ante anno*

centum, nunc probaretur. NOS. Imò sibilis omnibus et risu omnium exaperetur. Contemplare in picturis non ad modum vetustis, fortassis ante annos sexaginta ędi-tis, cultum muliercularum aulicarum ac procerum, quo si quis nunc prodeat in publicum, futurum sit vt putri-bus malis à pueris ac morionibus lapidetur. HYP. Ve-rissima narras. Quis enim nunc ferat in honestis ma-tronis cornua, pyramides, metasq; pręlongas in vertice prominentes frontes ac tempora pilis arte vulsis glabra ad medium propè cranium, in viris pileorũ thoros cum ingenti cauda pensili, oras uestium insectas, thoros in hu-meris tumentes, cęsariem duobus digitis supra aures de-rasam, vestem longe breuiorem, quàm vt ad genua porrigatur, vix pudenda te gentem, calceos rostris in immensum porrectis, catenam argenteam à genu ad ta-lum vsq; reuinctam. Nec illis temporibus minus prodi-giosus fuisset cultus, qui nunc habetur honestissimus. N. De veste conuenit. BVL Da nũc si libet ex pictoribus Apellem, qui suę ętatis & deos & homines optime pin-gere solitus est, si quo fato rediret in hoc seculum, & ta-les pingeret Germanos, quales olim pinxit Gręcos, ta-les monarchas, qualem olim pinxit Alexãdrum, quum hodie tales non sint, non ne diceretur male pinxisse? N. Male, quia non apte. BVL. Si tali habitu pingeret quis deum patrem, quali pinxit olim Iouẽ, tali specie Chri-stum, quali tum pingebat Apollinem, num probares ta-bulam? NOS. Nequaquam. BVL. Quid, si quis Vir-ginem matrem hodie sic exprimeret, quemadmodum Apelles olim effigiabat Dianam, aut Agnen virgi-nem ea forma, qua ille pinxit illam omnium literis cele-

bratum ἀναδυομένην, aut diuam Teclam ea specie qua pinxit Laidem, num hunc diceres Apelli similem? N. Non arbitror. B V L E. Et si quis templa nostra talibus ornaret simulachris, qualibus olim Lysippus ornauit phana deorum, nunc hunc diceres Lysippo similem? N O S. Non dicerem. B V L. Quur ita? N O S O. Quia signa rebus non congruerent, Idem dicere, si quis asinum pingeret specie bubali, aut accipitrem figura cuculi, etiam si ad eam tabulam summam alioqui curam & artem adhiberet. HYP. Ego nec illum appellarem probum pictorem, qui deformem hominem, in tabula formosum redderet. B V L. Quid si alioqui summam artem prestaret? H Y P. Non artis expertem tabulã dicerem sed mendacem. Potuisset enim aliter pingere, si voluisset, Cęterum ei quem expressit vel blandiri maluit, vel illudere. Sed quid? num hunc putas probum artificem? N O S. Vt sit, hic certe non prestitit. B. Bonum igitur uirum existimas? N O S. Nec bonum artificem, nec bonum virum. Siquidẽ caput artis est, rem vt est, oculis reprę sentare. B V L. Ad hoc non est magnopere opus eloquẽtia Ciceroniana. Nam vestri rhetores permittunt oratori mentiri nonnunquam, res humiles verbis attollere, magnificas deijcere, quod sane prestigij genus est obrepere insidijs in animum auditoris, Postremo mouendis affectibus, quod veneficij genus est, vim adferre mentibus. N O S O. Verum, vbi dignus est auditor qui fallatur. B V L E P H O. Sed hęc interim mittamus alieniora mihi satis est, quod amictum non probes corpori parum accommodum, quod picturam damnas, non aptam ei rei, quàm profitetur se velle

effingere. NOS. Sed quem exitum habituræ sunt istæ tuæ Socraticæ εἰσαγωγαί? BVL. Videlicet huc ibam mi Nosopone. Hoc mihi tecum conuenit, Ciceronem omnium optime dicere, NOS. Conuenit. BVL. Nec Ciceroniani pulcherrimũ mereri cognomen, nisi qui similiter possit dicere. NOS. Prorsus. BVL. Tum ne bene quidem dicere, qui non dicat apte. NOS. Conuenit & isthuc. BVL. Vt autem apte dicamus ita demum fieri, si sermo noster personis et rebus præsentibus congruat. NOS. Scilicet. BVL. Quid? Videtur præsens seculi status, cum eorum temporum ratione congruere, quibus vixit ac dixit Cicero, quum sint in diuersum mutata religio, imperium, magistratus, respublica, leges, mores, studia, ipsa hominum facies, denique quid non? NOS. Nihil simile. BVL. Quid igitur frontis habeat ille, qui à nobis exiget, vt per omnia Ciceronis more dicamus? Reddat is nobis prius Romam illam, quæ fuit olim, reddat senatum & curiam, patres conscriptos, equestrem ordinem, populum in tribus & centurias digestum augurum et auspicum collegia. Pontifices maximos, flamines & vestales, ædiles, prætores, tribunos plebis consules, dictatores, Cæsares, comitia, leges senatusconsulta, plebiscita, statuas, triumphos, ouationes, supplicationes, phana, delubra, puluinaria, sacrorum ritus, deos deasque, Capitoliũ, & ignem sacrum, reddat prouincias, colonias, municipia, & socios vrbis rerum dominæ. Porrò quum undequaque tota rerum humanarum scena inuersa sit quis hodie potest apte dicere, nisi multum Ciceroni dissimilis? Adeo mihi videtur hoc quod agebamus in diuersum exisse. Tu negas quemquam bene dicere, nisi Cicero-

nem exprimat, at res ipsa clamitat, neminem posse bene dicere, nisi prudens recedat ab exemplo Ciceronis. Quocunque me verto, video mutata omnia, in alio sto proscenio, aliud conspicio theatrum, imò mundū alium. quid faciam? Christiano mihi dicendum est apud Christianos de religione Christiana, num vt apte dicam imaginabor me viuere ætate Ciceronis, & in frequente senatu apud patres conscriptos in arce Tarpeia dicere, & ex orationibus quas in senatu dixit Cicero voculas aliquot, figuras & numeros emendicabo? Habenda est concio apud promiscuam multitudinem, in qua sunt & virgines & vxores & viduæ, dicendum est de laude ieiunij, de pœnitentia, de fructu orandi, de vtilitate elemosynarum, de sanctitate matrimonij, de contemptu rerum fluxarum, de studio diuinarum literarum, quid hic opitulabitur mihi Ciceronis eloquētia, cui quē admodum res, de quibus dicendum est, erant ignotę, ita non potuerunt vsitata esse vocabula, quæ post illum noua cum rebus nouis exorta sunt. An non frigidus orator erit, qui ad has materias, veluti pannos Ciceroni detractos asuat? Referam non rumore perlata, sed quod his auribus audiui, his oculis conspexi. Florebāt id temporis Romę pręter cęteros dicendi laude Petrus Phædrus, & Camillus hoc ætate minor, sed eloquendi viribus maior, nisi quod ille iam huius laudis arcem occuparat. Verum horum neuter, ni fallor, genere Romanus erat autem cuipiam delegata prouincia qui de morte Christi diceret die sacro, quem parasceues appellant, idque apud summum Pontificem. Aliquot ante diebus ad eam orationem audiendam sum inuitatus ab erudi-

tis. Caue, inquiebant, ne desis, nunc demum audies, quid lingua Romana sonet in ore Romano. Adfui per cupide, astiti suggesto proximus, ne quid effugeret. Aderat ipse Iulius secundus, quod solet, valetudinis opinor causa, admodum raro, aderat frequens Cardinalium Episcoporumq; consessus, ac præter ignobilem turbam, docti plerique, qui tum Romæ agebant. Nomen oratoris non edam, ne cui videar hominis probi & eruditi famam arrodere voluisse. Erat hoc autem animo quo tu nunc es Nosopone, nimirum Ciceronianæ facundiæ candidatus. Prooemium & peroratio oratione penè tota longior, consumebatur prædicandis Iulij Secundi laudibus, quem appellabat Iouem opt. Max. qui dextra ommipotente tenens ac vibrans trisulcum & ineuitabile fulmen, solo nutu faceret quicquid vellet. Quicquid aliquot annis gestum fuerat, in Gallijs, in Germania, in Hispanijs, in Lusitania, in Africa, in Grecia, id vnius nutu perfectum esse prędicabat. Atque hęc quidem Romæ Romanus, ore Romano, sonoq; Romano. Sed quid hęc ad Iulium Christianæ religionis antistitem, Christi vices gerentem, Petri & Pauli successoré? quid hęc ad Cardinales & Episcopos reliquorum apostolorum vicem obtinentes? Iam argumento, quod susceperat tractandum, quid sacratius, quid verius, quid mirabilius, quid sublimius quid commouendis affectibus accommodatius? quis hic vel vulgari quapiam eloquentia prędītus, non saxeis etiam hominibus excitet lachrymas? Consilium orationis hoc erat, vt primum Christi mortem faceret luctuosam, mox in diuersum flexa dictione redderet gloriosam ac triumphalem, nimi-

rum vt nobis exhiberet exemplum Ciceronianæ dinoſcos qua potuit auditorum animos in quemcunq; vellet affectum rapere. H. quid? ſucceſſit ne? BVL. Mihi, quum maxime tractaret affectus illos tragicos, quos rhetores appellant πάθη, ne quid fingam, ridere libebat. Nec quenquam in illo conſeſſu vidi pilo triſtiorem, quū totis eloquentię viribus exaggeraret indignos innocentiſſimi Chriſti cruciatus. Rurſum nec tantulo hilariorem quenquam, quum totus in hoc eſſet, vt mortem illam redderet nobis triumphalem, plauſibilem & glorioſam. Commemorabat Decios & quintum Curtium, qui ſe pro ſalute Reipu. dijs manibus deuouiſſent. Item Cecropem, Mœneceum, Iphigeniam, & alios aliquot, quibus patrię ſalus ac dignitas, ipſa vita fuiſſet charior. Deplorabat autem valde lugubriter, quod fortibus viris qui ſuis periculis Reipub. ſubueniſſent, publicis decretis relata eſſet gratia, alijs in foro poſita ſtatua aurea, alijs decretis honoribus diuinis, Chriſtum pro ſuis benefactis ab ingrata Iudęorum gente pręmij loco tuliſſe crucem, dira paſſum, ſummaq; affectum ignominia, atq; ita nobis bonum illum & innocentem virum, deq; gente ſua optime meritum reddebat miſerandum, quaſi Socratis aut Phocionis mortem deploraſſet, qui quum nihil admiſiſſent ſceleris, ciuium ſuorum ingratitudine coacti ſunt cicutam bibere, aut Epaminondę qui ob res pręclare geſtas compulſus eſt capitis cauſam apud ſuos dicere, aut Scipionis, qui poſt tot in rempu. merita exulatum abijt, aut Ariſtidis, quem populus Athenienſium nō ferens cognominis inuidiam, quod ob inſignem morum integritatem vulgo iuſtus diceretur oſtra-

cismo iussit in exilium proficisci. quæso quid his dici potuit frigidius aut ineptius? Et tamen Ciceronem pro viribus æmulatus est. Cæterum de arcano supremi numinis consilio, quod hac inaudita ratione voluit genus humanum à diaboli tyrannide redimere mortem vnici filij, tum de mysterijs, quid sit commori Christo, quid sit cum illo sepeliri, quid cum illo resurgere, nulla mentio. Deplorabatur illius innocentia, traducebatur Iudæorum ingratitudo, at non deplorabatur nostra malicia, nostra ingratitudo, qui sic redempti, tot beneficijs affecti, ad tantam felicitatem inaudita benignitate prouocati, rursus illum, quod in nobis est, crucifigimus, vltro reuoluti in satanæ tyrannidem, seruientes auariciæ, luxui, voluptatibus, ambitioni, magis huic mundo dediti quàm vnquam fuerint ethnici, quibus deus nondum aperuerat hanc cœlestem philosophiam. Iam in diuersa parte quum ille magno conatu id ageret, vt gaudio gestiremus, magis libebat flere, quum audirem Scipionis, Pauli Aemylij, & C. Cæsaris triumphos, & imperatores in deorum numerum relatos, cum crucis triumpho conferri. Huius gloriam qui voluisset verbis attollere, Paulum apostolum potius sibi proponere debebat quàm Ciceronem. quàm ille in hoc argumento exultat, attollitur, superbit, regnat, triumphat, omnia mundana velut è sublimi despiciens, quoties in crucis prædicationem incidit. quid multa? Tam Romane dixit Romanus ille, vt nihil audirem de morte Christi. Et tamen ille Ciceronianæ dictionis ambitiosissimus candidatus, Ciceronianis videbatur mirifice dixisse, quum de re penè nihil diceret, quàm nec intelligere, nec amare videbatur,

neq; quicquam apposite dicebat, nec vllos mouerat affectus. Tantum hoc laudis ferebat, quod Romane pronũciasset, & aliquid Ciceronis retulisset. Probari poterat hoc velut indolis ingenijq; specimen, si à puero apud pueros in schola fuisset habita talis oratio. Verum ad talem diem, ad tales auditores, ad tale argumentum quid faciebat obsecro? N. *Est* ἀνώνυμος *de quo loqueris?* BVLE. *Nomen, vt dictum est, intelligi malo quàm exprimi. Neq; enim nobis hic propositum est vllius nomen aspergere, sed errorem vitandum ostendimus, qui non paucis hodie sub splendidi nominis vmbra imponit. Hoc nostra refert Nosopone nomen hominis, de quo narraui fabulam, scire nihil refert. Pertinet autem hoc & ad Ciceronem gloriam cui video te supra modum fauere, cui quotquot vsquam terrarum sunt eruditi merito fauent. Nam isti simij non solum officiunt adolescentiæ studijs ac moribus, verum etiam ipsum Ciceronis nomen obscurant, cuius cognomine sese venditant, quum nihil sint minus, quàm Ciceroniani. quemadmodum eximię pietatis virum Benedictum infamant, quoties se cultu tituloq; iactant Benedictinos, etiam illi qui vita propius ad Sardanapalum accedunt, quã ad Benedictum & minime malitiosum hominem Franciscum, qui se huius cognomine iactitant, quum moribus Pharisęos propius exprimant quàm Franciscum, & Augustinum, qui se ferunt Agustinenses, quum à doctrina simul ac pietate tanti viri procul abhorreant, fortasse & Christum, qui pręter titulum nihil habet illius, ita Ciceronis famæ labem aspergunt, qui nihil habent in ore præter Ciceronem & Ciceronianos, quum nulli magis absint*

ab eloquentia Ciceronis. Mirum quo superalio Thomę, Scoti, Durandi similiumq; barbariem execrentur, & tamen si res vocetur ad exactum iudicium, illi quum se nec eloquentes, nec Ciceronianos iactitent, magis Ciceroniani sunt, quàm isti qui postulant haberi nõ iam Ciceroniani, sed ipsi Cicerones. N. Monstri simile narras. BVL. Non est monstrosa veritas, qui mentitur, monstri simile dicit. Non'ne fateris Ciceroni simillimum, qui de quacunq; re dicit optime? NOS. Fateor. BVL. Ad bene dicendum duę potissimum res conducunt, vt penitus cognitum habeas, de quo dicendũ est, deinde vt pectus & affectus suppeditet orationem. N. Ista quidem docent Horatius & Fabius, & aliqui citra autorem verissima sunt, quare non conabor inficias ire. BVL. Vnde igitur Ciceroniani nomen feret, hoc est, optime dicentis, qui de rebus loquitur, quas nec penitus ĩtelligit, nec affectu pectoris prosequitur? vt ne dicam, quas planè negligit oditq;. HYP. Id quidem perdifficile est, qui possit enim pictor, quamuis probus artifex, effingere figuram hominis, quem nunquam attente contemplatus est, aut fortasse ne vidit quidem? Deinde vix impetres ab hoc artificum genere vt scite rẽ exprimant, nisi delectentur argumento. BVL. Illud igitur in primis curandum erat Ciceronianis, vt intelligant mysteria Christianę religionis, nec minore studio libros sacros euoluant, quàm Cicero philosophorum, Poëtarum, Iurisperitorum, Augurum & Historicorum euoluerat. His rebus instructus ille fuit Cicero. Nos qui nostrę professionis, nec leges, nec prophetas, nec historias nec interpretes attingimus, contemnimus etiam & horremus, qui tan-

dem erimus Ciceroniani? Verum age, dicendum est apud Christianos, sed de re prophana, puta de creando magistratu, de matrimonio, aut de pangendo foedere, aut de bello suscipiendo, an his de rebus Christianis apud Christianos eodem modo dicemus, quo Cicero ethnicus loquebatur apud ethnicos? An non omnes vitae nostrae actiones conferendae sunt ad Christi regulas? à quibus si tua recedat oratio, iam nec bonus orator, nec vir fueris bonus. quod si is qui dicit, nullum verbum promit, nisi ex indice suo, quum res mortalium in diuersum commutatae, nouas voces inuexerint, quid hic faciet Ciceronianus, quum eas non reperiet, nec in M. Tullij libris, nec in suo elencho? Si reijcietur, quicquid non deprehēditur in libris illius, quum tam multi interciderint, vide quàm multa vitabimus vt barbara, quae sunt à Cicerone prodita. Rursus quàm multa, quibus erat vsurus, si de rebus huiusmodi dicendum fuisset. Nusquam apud Ciceronem legimus, Iesu Christi, verbi dei, spiritussancti, aut trinitatis vocabulum, nec Euangelium, nec Euangelistam, nec Mosen, nec Prophetam, nec Pētateuchum, nec Psalmos, nec Episcopum, nec Archiepiscopum, nec diaconum, nec hypodiaconum, nec acoluthum, nec exorcistam, nec ecclesiam, nec fidem, spem & charitatem, nec trium personarum eandem essentiam, nec haeresim, nec symbolum, nec septem Ecclesiae sacramenta, nec baptismum aut baptistam, nec confirmationem, nec eucharistiam, nec sacram unctionem, nec poenitentiam, nec sacramentalem confessionem, nec contritionem, nec absolutionem, nec excommunicationem, nec Ecclesiasticam sepulturam, nec

missam, nec alia innumera, quibus constat omnis vita Christianorum. Hæc nusquam nō sunt obuia, quacunq; de re tentas dicere, ingerunt sese vel nolēti. quid faciet? quò se vertet hic ille superstitiose Ciceronianus? An pro patre Christi dicet, Iupiter Opt. Max pro filio dicet Apollinem, aut Aesculapium, pro virginum regina dicet Dianam, pro ecclesia, sacram concionem, aut ciuitatem, aut Remp. pro ethnico perduellem, pro hęresi, factionem pro schismate, seditionem, pro fide Christiana, Christianam persuasionem, pro excommunicatione proscriptionem, pro excommunicare, diris deuouere aut quod nonnullis magis arridet, aqua & igni interdicere, pro apostolis legatos, aut veredarios, pro Romano pontifice, flaminem dialem, pro consessu Card. patres conscriptos, pro synodo generali, S.P.Q. Reip. Christianæ, pro episcopis, prędes prouinciarum, pro electione episcoporum, comitia, pro synodica constitutione, senatus consultum, pro summo pontifice, summum ciuitatis præfectum, pro Christo capite ecclesiæ, summū Reipu. præsidem, pro diabolo sycophantam, pro Propheta vatem aut diuinum, pro prophetijs oracula diuūm, pro baptismo tincturam, pro missa, victimam, pro consecratione corporis dominici, sacrosanctum panificium, pro Eucharistia, sanctificum crustulum, pro sacerdote sacrificulum, aut sacrorum antistitem, pro diacono, ministrū aut curionem, pro gratia dei, numinis munificentiam, pro absolutione, manumissionem. Vides ex innumera vocabulorum turba quantulam portionem attigerim. Quid hic faciet Ciceronianæ phraseos candidatus? Vtrum'ne tacebit, an ad hunc modum immutabit re-

cepta Christianis vocabula? NOS. Quid ni? BV. Fingamus igitur exemplum. Hanc sententiam, Iesus Christus, verbum & filius ęterni patris, iuxta prophetias venit in mundum, ac factus homo, sponte se in mortem tradidit, ac redemit ecclesiam suam, offensiq; patris iram auertit à nobis, eiq; nos reconciliauit, vt per gratiam fidei iustificati, & à tyrannide liberati, inseramur ecclesiæ, & in ecclesiæ communione perseuerantes, post hanc vitam consequamur regnum cœlorum, sic efferet Ciceronianus. Optimi Maximiq; Iouis interpres ac filius, seruator, rex, iuxta vatum responsa, ex olimpo deuolauit in terras, & hominis assumpta figura, sese pro salute Reipub. sponte deuouit dijs manibus, atque ita concionem siue ciuitatem, siue Remp. suam asseruit in libertatem, ac Iouis optimi Maximi vibratum in nostra capita fulmen restinxit, nosq; cum illo redegit in gratiam, vt persuasionis munificentia ad innocentiam reparati & à sycophantæ dominatu manumissi, cooptemur in ciuitatem, & in Reipub. societate perseuerantes, quum fata nos euocarint ex hac vita, in deorum immortalium consortio rerum summa potiamur. NOS. Ludis tu quidem Bulephore. BVL. Ita me bene amet nostra πειθὼ, rem seriam ago. Iam si vsus venerit, vt de difficillimis dogmatum nostrorũ quęstionibus sit disserendum, quantum lucis habebit disputatio, si talibus flosculis ornatus incedat sermo? quid aliud quàm fumum ingeram materiæ tenebris? Quoties ad has salebras restitabit lector? Sed age liceat hactenus ludere Ciceronis imagine, quid fiet vbi res poscet diuinarum scripturarum testimonia? An quum erit citandum ali-

quid ex decalogi praeceptis tantum aſcribam, recita legem? quum pronuntiandum erit, conſtitutio ſynodi, aſcribam, recita ſenatus conſultum? quum erit aliquid promendū ex prophetis aut apoſtolis, aſcribere ſat erit, recita teſtimonium? Sic enim omnino ſolet Cicero. Itaq; vitabo, ne dictionem Ciceronianam verbis non Ciceronianis contaminem? NOS. quid igitur? Num autor eris nobis ſic loquendi, quemadmodum ſcripſerunt Thomas & Scotus? BVL. Si melius dicit qui dicit aptius, ſic de rebus ſacris loqui prçſtiterat, quàm in his Ciceronem exprimere. Quanquam eſt medium quiddam inter Scotos & Ciceronis ſimias. Nec ſtatim Male Latinum eſt, quod apud Ciceronem non extat, qui, vt sçpe iam dictum eſt, nec extat totus, & ſi totus extaret, non tractauit omnes materias, & ſi tractaſſet omnes illorũ temporum, noſtras res nec tractauit, nec nouit. Poſtremo quod ad ſermonis proprietatem & elegantiam attinet, nec Ciceroni cedit M. Varro, et hac dote prçfertur C. Cçſar. Neq; enim M. Tullius fuit author ac parens Romani ſermonis, ſed Orator maximus, & in cauſarũ ciuilium actionibus primae laudis, in alijs inferior nonnullis, in carmine frigidius, in vertendis Grçcis parum felix, qualis futurus in cçteris incertum. Si mihi de matrimonio dicendum ſit, cuius multo alia nunc eſt ratio quàm fuit olim, & de quo M. Tullius nihil memoriae prodidit, num verebor ex Ariſtotele, Xenophonte, Plutarcho, è diuinis libris, è Tertulliano, Hieronymo, et Auguſtino, ſententias ac verba legere, ne cui videar parū Ciceronianus? Item ſi de re ruſtica prçcipiendum fuerit, fas non erit ex Virgilio, Catone, Varrone, Colu-

mella decerpere quę placent? Si barbarum habetur, quicquid est nouum et recens natum, nulla vox non fuit aliquando barbara. quàm multa reperies apud ipsum Ciceronem noua? pręsertim in his libris in quibus tractat artem rhetoricam, aut rē philosophicam. Quis ante Ciceronem audiuit beatitatem & beatitudinem? Quid apud Latinos sonat finis bonorum, quum apud illum significet summū bonum, aut id in quo quis statuit summam felicitatem? quid nobis sonat visum & visio, species, praepositum & reiectum? Quid latinis auribus sonet, occupatio, quid contentio, quid superlatio, quid complexio, quid traductio, quid frequentatio, licentia, gradatio, quid status & constitutio, quid iudicatio, quid continens, quid firmamentum, quid demonstratiuum genus, quid inductio, quid propositum, quid aggressio, quid insinuatio, quid acclamatio, quid aliae voces innumerae, quas aut prius Latinis inauditas ausus est fingere, aut in eam significationem detorsit q̄ populus Romanus non agnoscebat? Hoc ille reclamante seculo non est veritus facere, quum philosophorum Gręcorum dogmata Latinis auribus traderet, & vt, quod erat in pręceptis rhetorum, peculiaribus vocabulis in hoc proprie repertis explanaret, nonnullas peregrinas voces ciuitate Romana donauit, & nos piaculum admissum credimus, si rebus nouatis vocibus aliquot nouis vtamur? Nulla est ars humana, cui non concedimus ius vtendi suis vocabulis, licet grammaticis dicere, supinum & gerundium, mathematicis, sesquialteram & superbipatientem, habent agricolae & fabri propria suarum artium vocabula, & nos caelum terrae miscemus,

si nostrę religionis mysteria suis verbis explicemus? Voces aliquot Hebraicę, complures Gręcanicę (quoniam è Palęstina, Asia minore & Gręcia, primum ad nos demanauit Christiana philosophia) unà cum ipsis rebus inuectę sunt, quod genus sunt, osánna, amen, ecclesia, apostolus, episcopus, catholicus, orthodoxus, hęreticus, schisma, charisma, dogma, chrisma, Christus, baptizo, paracletus, euangelium, euangelizare, euangelista, proselitus, catechumenus, exorcismus, eucharistia, symbolum, anathema nonnullas prisci Christianæ religionis antistites vsurparunt, quo commodius possent de rebus tam sublimibus disserere, cuiusmodi sunt ὁμοούσιος quod nos consubstantialis vertimus, fides, gratia, mediator, & si qua sunt alia, quæ antehac vel inaudita Latinis erant, vel non in eundem sensum vsurpata. Num igitur tanti nobis erit dici Ciceronianum, vt de rebus, de quibus solis erat loquendum, prorsus sileamus, aut pro verbis vel ab apostolis traditis, vel à maioribus repertis, & in hunc vsque diem tot seculorum consensu receptis abstinebimus, alia quędam in illorum locum pro suo quisque arbitrio comminiscentes? Imò mel, piper, & sinapi cum suę nationis vocabulis receperunt primum Gręci, mox Latini, & nos fastidimus aliquot dictiones quę nobis cum illa cœlesti philosophia per Christum, per apostolos, per afflatos sacro spiritu patres, veluti per manus traditæ sunt, atque interim ad Ciceronem confugimus, inde mutuo sumpturi voces, videlicet ἐν τῇ φακῇ μύρον, quod apud Gręcos dici solet? Si quis nobiscum summo iure contendat, citius diceret Ciceronis verbis, figuris ac numeris, Christianæ philosophiæ maiestatem foedari.

Verum istis non assentior, mihi placet in quauis materia nitor ac mundicies orationis. At non ille dicit *Ciceroniane qui Christianus apud Christianos de re christiana sic loquitur, quemadmodum olim ethnicus apud ethnicos de rebus prophanis loquutus est Cicero, sed quemadmodum ille eo præditus ingenio quo tum erat, eo dicendi vsu, ea rerum nostrarum cognitione, qua tum prophanarum erat instructus; postremo sic inflammatus studio pietatis erga Rempu. Christianam, quemadmodum tum vel gloria vel studio flagrabat in vrbem Romanam & in maiestatem Romani nominis, dicturus esset hodie Christianus apud Christianos si viueret.* Hoc qui præstare valet prodeat, & æquis animis feremus illum dici Ciceronianum; si tantopere ducitur huius amore cognominis. *Ipse M. Tullius si viueret hoc rerum statu, dei patris nomen non indicaret minus elegans, quàm Iouis Opt. Max. nec minus decoris putaret accedere dictioni, si subinde repeteret Iesum Christum, quàm si Romulum, aut Scipionem Africanum, aut Q. Curtium, aut M. Deciũ.* Nec minus *splendidum existimaret ecclesiæ Catholicæ nomen, quàm patrum conscriptorum, quàm quiritium, quàm senatus populique Romani. Diceret nobiscum fidẽ in Christum, diceret infideles, qui à Christo sunt alieni, diceret paracletũ spiritum, diceret sanctam trinitatem. Quod dico, probabilibus argumentis colligi potest.* Num illum deterruit *elegantiæ studium, quo minus in Philippicis, dum præit formulam senatus consulti, vtatur verbis solennibus magis quàm Latinis?* An non in *Topicis vtitur verbis iureconsultorum longe alienis à phrasi rhetorica?* An il-

le fastidisset verba nostræ philosophiæ peculiaria? NOSO. Mihi quidem videris satis feliciter declamare. B. Ad hæc, non ne gratia sermonis bona ex parte pendet ex condituris & allusionibus? At M. Tullius unde sumit hæc condimenta? Non ne ex Homero, Euripide, Sophocle, Ennio, Lucilio, Accio, Pacuuio, Neuio, tum ex philosophorum & historicorum libris? NOS. Nimirum sine his ornamentis sordida ac triuialis est oratio. Hæc ceu gemmæ flosculi ue intertexta, reddunt admirandum quod scribitur. BVL. quid si nos eadem petamus ex Virgilio, Flacco, Ouidio, Seneca, Lucano, Martiale, num hac parte dissimiles erimus Ciceronis? NOSOPO. Isthuc concedunt, licet ægre. Habet enim apud Ciceronem nescio quid maiestatis antiquitas eorum quorum dicta refert. BVL. qui fit igitur vt nos existimemus totam orationem conspurcatam, si condimenta, quæ Cicero petebat ethnicus ab ethnicis, nos ex antiquissimis prophetis, Mose, Psalmis, Euangelicis & Apostolicis literis petamus? Admirandam quandam gemmam appositam existimamus, si quod Socratis dictum admiscuerimus orationi, & maculam accessisse credimus, si quid admixtum erit è prouerbijs Solomonis? An pię Socrate nobis putet Solomon? Si quid ex Pindari Flacci ue dictis fuerit interiectum, splendet oratio, & sordescit, si quid è sacris psalmis apte fuerit attextum? Pondus ac maiestatem additum arbitramur orationi, si quàm Platonis sententiam inseruerimus, & plurimum gratię decessisse videtur, si quàm Christi sententiam ex Euangelicis literis addiderimus? Vnde hęc tam prępostera iudicia? An Platonis sapientiam vehe-

mentius admiramur quàm Christi? An libri spiritus cœlestis afflatu proditi sordent nobis prȩscriptis Homeri, Euripidis, an Ennij? Quin missam hic faciamus spiritus sacri mentionem, ne videamur diuina cum humanis conferre. Historia*, si fidem detrahas, ne nomen quidem historię meretur.* Hic *mihi confert, si libet, fabulosum* Herodotum *cum* Mose*, confer historiam orbis conditi, exitus ab* Aegypto *cum* Diodori *fabulis, confer libros Iudicum & Regum cum* Tito Liuio*, qui non raro secum ipse dissidet in rerum gestarum narratione, tantum abest, vt nusquã aberret à vero, confert* Platonem *cum* Christo, Socrati *εἰρωνείας cum Christi cœlestibus oraculis, confer psálmos nihil humani spirãtes cum* Pindaricis *adulationibus, confer* Solomonis *canticum cum* Theocriti *nęnijs, siue personas spectes siue rem, nihil simile.* Habet *diuina sapientia suam quandam eloquentiam, nec mirum si nõnihil diuersam à* Demosthenica*, seu* Ciceroniana*, quum alius cultus deceat summi regis vxorẽ, alius gloriosi militis amicam.* Hoc *dicturus erã, si quis verba cum verbis, figuras cum figuris, numeros cum numeris incipiat comparare.* An *dulcius sonat auribus nostris,* Theßala *tempe, q̃ mons* Sion*? an plus habet maiestatis, à dijs immortalibus datum, q̃ a deo patre datum? an iucundius est auribus nostris,* Socrates Sophronisci *filius, q̃* Iesus *dei filius? Quur magis blanditur auribus nostris,* Annibal Pœnorũ *imperator, quàm* Paulus *gentium doctor?* Si *personas ęstimes, ille* Romano *imperio moliebatur exitium, hic salutiferam philosophiam inuexit.* Si *voces conferas, quęso quid ĩterest?*
HYP. *Si verum fateri volumus, nihil nisi quod apud*

hominès plurimum valet, vel quę semel occupauit animum persuasio vel penitus hausta imaginatio. Hoc accepimus, hoc penitus insedit animis nostris voces illas esse politas ac splendidas, has inamœnas barbaras. BVLE. Rem acu tetigisti. Sed quę res isthuc persuasit animis nostris? HYP. Nescio. BVL. Res ipsas? HYP. Non opinor. BVL. Vis eloquar quod vero verius est? HYP. Per me quidem impune. B. Huius expecto vocem. NOS. Vtere iure quod stipulanti concessimus. B. At vereor ne parum videatur Ciceronianum, quod dicturus sum. NOS. Hic nihil refert. B. Paganitas est, mihi crede Nosopone, paganitas est, quę ista persuadet auribus atq; animis nostris. Titulo dũtaxat sumus christiani. Corpus aqua sacra tinctum est, sed illota mens est, frons cruce signata est, animus crucem execratur, Iesum ore profitemur, sed Iouem Opt. Max. et Romulum gestamus in pectore. Alioqui si vere, quod dicimur essemus, quod tandem sub sole nomen oportuit vel cogitationibus, uel auribus nostris esse iucundius nomine Iesu? per quem à tantis malis erepti, cuius gratuita benignitate ad tantam dignitatem vocamur, ad ęternam felicitatem inuitamur, ad cuius mentionem contremiscũt impij spiritus, generis humani plus q̃ capitales hostes, ceruices ac genua submittũt ętherei mentes. Quod tam efficax est, vt ad huius inuocationem fugiant dęmones, cedant immedicabiles morbi, reuiuiscant mortui, tam blandum et amicum, vt nulla sit tam acerba calamitas, quin magno solatio leniatur, si Iesum ex animo nominès. Es hoc nomine p̃suademus nobis sordidari nitorem orationis, quum Annibal et Camillus mera sint oratio-

nis lumina? Eijciamus, reuellamus, profligemus ex animo paganitatem hanc, pectus, vere Christianum ad lectionem adferamus, et videbimus lucidissimam stellam additam orationi quoties Iesu Christi nomen fuerit insertum, eximiam accessisse gemmam, quoties Virginis matris, quoties Pauli Petriq́; nomen admiscebitur, multum decoris accessisse, quoties ex diuinarum litterarum adytis, quoties è spiritus sancti lecythis ac myrothecijs, sententiam viderimus interiectam, modo in loco, modo ex animo, multoq́; plus dignitatis adiunctum dictioni, quàm si ex Enniaris aut Accianis scriptis decem milia dictorum, quę in illis habentur venustissima, fuissent addita. HYP. *Isto sanè pacto vitatur, ne quid hęreseos insimulent* Theologi: BVL. *Iam si quid est ornatus in tropis ac schematis, id totum est nobis cum Cicerone commune, rerum maiestate, fideq́; longe sumus illo superiores.* Tantum *de vocabis imponit nobis imaginatio paganica fallit affectus parum Christianus, ideo putent nobis quæ suapte natura sunt pulcherrima, quia, non amamus, vtinam non odissemus.* Vt *enim, iuxta* Theocriti *sententiam, amanti pulchra sunt & ea quę pulchra non sunt ita nihil est odio non deforme.* Veniam *ad allusiones, quas si tollas, scis ipse quantum* Veneris *decedat orationi. quur hic nobis vehementius blanditur si quis significans aliquam indecenter admixtum alieno gregi, dicat, vidisses corchorum inter holera, quàm si dicat, vidisses Saulem inter prophetas, aut si significans quippiam non in loco factum dictumue, dicat, in lenticula unguentum quàm annulum aureum in nare suilla, aut si significans, non fortunæ, sed bone con-*

ſcientiæ fidendum eſſe, dicat, in ſacræ ancoræ præſi-dio ſpem eſſe reponendam, quàm ſi dicat, ſolida pe-træ innitendum? At ſi quis volens boni viri partes eſſe alienis inſeruire cõmodis potius quàm vtilitatis propriæ rationem habere, dicat nihil minus decet Chriſtianum hominem, quàm Aſpendium agere citharœdum, quàm ſi dicat ad Pauli dictum alludens, magis eſſe ſpectan-dum quid liceat quàm quid expediat. Hæc ſi perſequi aborem, iuſti voluminis res ſit, indicaſſe ſat habeo. Quàm inhiamus, quàm ſtupeſcimus, ſi quod veterum dæmoniorum ſimulachrum, aut etiam ſimulachri frag-mentum nacti fuerimus, & Chriſti ac diuorum ima-gines vix æquis oculis aſpicimus. Vt admiramur epi-gramma, ſeu epitaphium in corroſo quopiam ſaxo reper-tum, Luciæ coniugi clariſſimæ, ante tempus extinctæ, Marcellus poſuit dijs manibus ſacrum, ò me infelicem. quur viuo? In huiuſmodi quum ſæpenumero non ſo-lum ſenſus inepti & paganici, verumetiam inſignes re-periantur ſolœciſmi, tamen ea exoſculamur, venera-mur, ac propemodum adoramus antiquitatem, & apo-ſtolorum reliquias deridemus. Si quis quid proferat ex duodecim tabulis, quis non iudicet ſacratiſſimo loco di-gnum? Et leges digito dei tabulis inſcriptas, quis no-ſtrum veneratur, quis exoſculatur? Quàm habemus in delitijs Herculis, aut Mercurij, aut Fortunæ, aut Victoriæ, aut Alexandri Magni. Cæſaris'ue cuiuſli-bet ſimulachrum nomiſmate expreſſum? & veluti ſu-perſtitioſos ridemus, qui lignum crucis, qui triadis ac diuorum imagines inter res charas habent. Si quando Romæ conſpicatus es Ciceronianorum μουσεῖα, recor-

le quæso nunc vbi videris imaginem crucifixi, aut sacræ triadis, aut apostolorum, paganismi monumentis plena reperies omnia. Et in tabulis magis capit oculos nostros Iupiter per impluuium illapsus in gremium Danaës, quàm Gabriel sacræ Virgini nuntians cœlestem conceptum, vehementius delectat raptus ab aquila Ganymedes, quàm Christus ascendens in cœlum, iucundius morantur oculos nostros expressa Bachanalia, Terminalia'ue, turpitudinis & obscœnitatis plena, quàm Lazarus in vitam reuocatus aut Christus à Ioanne baptizatus. Hæc sunt mysteria, quæ sub Ciceroniani nominis velo teguntur. Mihi crede, per speciosi tituli prætextum insidię tenduntur simplicibus, & ad fraudem idoneis adolescentibus. Paganitatem profiteri non audemus. Ciceroniani cognomen obtendimus. At quanto satius esset vel mutos esse nos, quàm in hunc affectum venire? NOS. *Expectabam vt adiuuares conatus nostros. Cæterum nescio quo modo dilapsus aliò, labefactas animum meum, ne petēdam quod aggressus, sum.* BVL. *Iam dixi & repeto, non retraho animum tuum à pręclaris cœptis, sed ad ea quę sunt optima surrigo. Neque enim hęc ideo commemorata sunt, quod arbitrer te talibus affinem affectibus, sed illud pro mea virili molior, vt feliciter affectemus Ciceronianam eloquentiam, ne sedulo quidem sed parum rectis iudicijs id agentes; nihil aliud assequamur, quàm vt dum valde studemus haberi Ciceroniani, nihil minus simus quàm Ciceroniani, si modo perpetuum esse pateris quod donasti, Ciceronis esse quàm optime dicere, ac ne bene quidem dicere, qui non dicat apte, tum*

frigidam ac mortuam esse dictionem, quę non proficiscatur è pectore. N O S. *qui fiet igitur, vt reddamur aliquando germane Ciceroniani? Neq; enim grauabor tuum sequi consilium, si quod habes meo rectius.* B V. *Hic est quod nobis optare, quod te monere possim, praeterea non multum. Ingenium ac naturam Ciceronis optare possum nobis dare non possum. Habent singula mortalium ingenia suum quiddã ac genuinum, quae res tantum habet vim, vt ad hoc aut illud dicendi genus natura compositus frustra nitatur ad diuersum. Nulli enim bene cessit* θεομαχία, *quemadmodum Graeci solent dicere.* N O S. *Scio, quod dicis, non indiligenter admonere quintilianum.* B V L E. *Sit igitur haec admonitio prima, ne quiuis sese addicat ad exprimendum Ciceronem, cuius genius vehementer abhorreat à Genio Ciceronis, alioqui monstri similis euadet, qui quum à sua natiua forma recesserit, alienam tamen non assequatur. Illud igitur in primis inspiciendum est, ad quod dicendi genus te natura finxerit. Etenim si qua fides astrologis, nemo temere fortunatus est in eo, à quo genesis abhorret. qui Musis natus est, nunquam felix erit in bello. qui bello natus, nunquam scribet felicia poëmata, qui coniugio natus est, nunquam erit bonus monachus. Qui agriculturę natus est, nunq̃ huic erit aula prospera, & contrà.* N. *At qui nihil est quod nõ expugnet labor improbus. Videmus arte humana lapidem verti in aquam, plumbum in argentum, aes in aurum, cura plantas exuere syluestre ingenium. quid vetat quo minus & hominis ingenium arte & vsu transformetur.* B V L. *Naturam habilem adiuuat cura, leuiter abhorrentem conciliat, &*

corruptum emendat, at prorsus abhorrentem & ad diuersa compositum, frustra vexes o Nosopone. Equus discit in gyrum circumagi, discit incessum gradarium, at frustra bouem duxeris ad ceroma, frustra canem vocaris ad aratrum, frustra bubalum ad equestre certamen. Aqua fortasse vertitur in aërem, aër in ignem, si quis omnino ignis est elementaris, sed terra nunquam vertitur in ignem, nec ignis in aquam. N. Sed quid vetat, quo minus Ciceronis phrasim, ad omnem materiam accommodemus? B V L. Fateor in M. Tullio quędam esse generalia, quæ possunt ad quoduis argumentum trāsferri, veluti candorem perspicuitatem, sermonis elegantiam, ordinem, & si qua sunt huius generis, at hoc istis Tullij simijs non est satis, totum dictionis faciem exigunt, Quod ipsum vt in quibusdam materijs affinibus vtcunque fieri possit, certe in his quæ tota ratione dissident, nequaquam valeat. Maronem sic opinor fateris inter poetas Latinos tenere primas, quemadmodum M. Tullius inter oratores. NOS. Fateor. BVL. Age si pares scribere carmen Lyricum, vtrum Oratium tibi propones an Maronem? N O S. Oratium in hoc genere summum. B. quid si Satyram? N. Multo magis. BVL. quid si mediteris Comœdiam? NO. Ad Terentianum exemplar me conferam. BV L. Nimirum ob insignem argumenti dissimilitudinem. NO. Sed habet Tulliana phrasis, nescio quid priuę felicitatis. B V L E. Totidem verbis & ego possim dicere, nescio quid. Imponit multis immodicus Ciceronis amor. Nam M. Tullij phrasim ad materiam vehementer diuersam adaptare, est dissimilem illi fieri. Nec est necesse affectare similitu-

dinem, si contingat esse parem, aut certe propinquum, li cet dissimilem. Quid dissimilius quàm smaragdus, & pyropus? & tamen precio gratiaq; pares sunt. Dissimi lis est rosa lilio, diuersus odor, & tamen vterq; flos alte rum æquat. An non sæpe vidisti duas puellas facie dis similli, sed ambas ea forma, vt excellentia facta sit am biguum delectum, si cui detur optio? Non statim me lius est, quod ad Ciceronis imaginem propius accedit, quemadmodum antea dicere cœperamus, nullum ani mal omnibus membris proprius ad hominis figuram ac cedere quàm simiam, adeo, vt si vocem addidisti natu ra, homo videri possit, nihil autem homini dissimilius esse quàm pauum aut cygnum, et tamen cygnus, opinor aut pauus esse malles quàm simius. HYP. Ego vel ca melus esse malim aut bubalus quàm simiorum formo sissimus. BVL. Dic mihi Nosopone, vtrum tibi dari malles vocem lusciniæ an coccygis? NOS. Lusciniæ. BVL. Et tamen coccyx propius accedit ad vocem ho minis. Vtrum malles cum alaudis canere, an cum cor uis crocitari? NOS. Cum alaudis canere. BVL. Et ta men coruorum vox similior est humanæ. Vtrum malles cũ asinis rudere, an cum equis hinnire? NOS. Cum equis hinnire, si ad alterutrum adigat fatorum necessitas. BV. Et tamen asinus veluti conatur humano more loqui. N. At opinor meam Mineruam non vsqueadeo auersam esse ab ingenio Ciceronis. Proinde quod naturæ deest, absolueret meditatio. quare fac absoluas, quod admonen dum existimas. BVL. Recte facis quod in viam re uocas, nam alio dilapsurus erat sermones. Summa est, vt quod cupimus, vere faciamus, hoc est, totum Cicero-

nem exprimamus, qui nec in verbis, nec in formulis, nec in numeris nec in scriptis totus est, imò uix dimidiatus, vt ante satis declaratum est. NOS. *Vbi igitur totus* BVL. *Nusq̃ nisi in seipso. quod si totum vis exprimere Ciceronem, teipsum nó potes exprimere. Si teipsum nó exprimis, mendax speculum tua fuerit oratio, nihiloq́; minus absurdum videbitur, quàm si coloribus oblita facie te pro* Nosopone Petronium *esse simules.* N. *Aenigmata loqueris.* B V L. *Dicam crassius, ineptiunt qui se torquent in hoc, vt Ciceronem istis rationibus totum exprimant, quod fieri nec potest si expediat, nec expedit si fieri possit. Sic autem totus exprimi potest, si virtutes illius non easdem reddere contendamus, sed pares ad illius imitationem exprimere, aut, si licet, etiam vincere. Siquidem fieri potest, vt Ciceronianus sit maxime, qui Ciceroni sit dissimillimus, hoc est, qui optime aptissimeq́; dicat, quum diuersa ratione dicat, nimirum rebus iam in diuersum commutatis, veluti si quis senem pingere velit, quem* Apelles *pinxerat adolescentem, hoc ipso fuerit* Apelli *dissimilis, si iam alium factum, velit eodem modo pingere.* H Y P. *Sphinge dignum ænigma, vt hoc ipso dissimilis sit aliquis, quo similis est.* B V L. *An non id vsu veniret, si quis eo modo caneret in funere, quo* Hermogenes *caneret sole epithalamia, aut ea gesticulatione causam diceret apud* Areopagitas, *qua saltare* Roscius *solet in* Theatro? *Verum hactenus licebit affectare* Ciceronis *similitudinem, si ijsdem vestigijs ad eloquentiæ palmam contendamus, quibus ille peruenit.* N O S. *Quibus?* B V L. *Num ad vnius imitationem semet addixit?* Nequaquam, *sed ex*

precipuis quod in quoq; esset aptissimum exprimere studuit. Hic illi primus erat Demosthenes, non solus, nec hunc ita sibi proposuit, vt totum exprimeret, sed vt congrua seligeret, nec vt sequi contentus esset, sed vt delectu quædam prudens vitaret, nonnulla corrigeret, quæ vero probabat sic ęmularetur, vt prĕire contenderet. Ad hęc pectoris sui penum affatim expleuit omnium disciplinarum autorum, veterum ac nouarum rerum cognitione, suę ciuitatis familias, ritus, instituta, leges, edicta, plebiscita diligenter ediscebat. Nec solum studiose versabatur in adytis philosophorum, verum ętiam in secessus Musarum se subinde recipiebat, ab alijs pronuntiationem, ab alijs gestum discebat. Hæc qui faciet eadem, dissimillimus euadet M. Tullio, paria qui faciet aut similia, is Ciceroniani cognomen promerebitur. NOS. Dic aliquanto dilucidius. BVL. Qui pari studio sese exercebit in cognitione philosophiæ Christianæ, quo ille se exercuit in prophana, qui eo affectu imbibet psalmos & prophetas, quo ille hausit poetarum libros, qui tanta vigilantia studebit cognoscere apostolorum decreta, ecclesiæ ritus, primordia, progressum ac deliquium reipub. Christianæ, quanta ille laborauit Vrbis Romanę prouinciarum, municipiorum & sociorum, iura legesq; perdiscere, tum qui quod his omnibus studijs comparatum est, ad res præsentes accommodabit, is poterit aliquo iure Ciceroniani cognomen ambire. NOSO. Isthæc omnia tua non video quorsum pertineant, nisi vt Christiane loquamur, non Ciceroniane. BVLE. Quid? num tibi Ciceronianus est, qui nec apte dicit, nec intelligit res, de quibus verba facit? NO-

SO.

SO. Nequaquam. BVL. At huc pertinent illorum studia, qui nunc Ciceroniani uolunt haberi. Id ne nobis vsu veniat disquirimus. Nec vlla res vetat quo minus idem & Christiane dicat & Ciceroniane, si modo fateris eum Ciceronianum, quid dilucide, copiose, vehementer & apposite dicat pro rei natura, proq; temporum ac personarum conditione. quidam enim benedicendi facultatem non artem esse voluerunt, sed prudentiam. Et ipse M. Tullius in Partitionibus eleganter definit eloquentiam, copiose loquentem sapientiam. Nec dubitandum quin hoc eloquentiæ genus ipse sectatus sit. Ab hac formula, deus bone, quantum absunt isti, qui de rebus tota ratione diuersis quas ipsas nec intelligunt, nec amant more Ciceronis volunt decere. quod autem nobis sordidum & solœcum videtur, quicquid à Cicerone dissonat, perniciosum ac mendax animi nostri somnium est, procul à nobis relegandum, si velimus hoc laudis ferre inter Christianos, quod Cicero tulit apud suos. Scribendi recte sapere est & principium & fons, ait ille Criticorum acutissimus. Fons igitur eloquentię Ciceronianæ qui tandem est? Pectus opulenter instructum varia rerum omnium cognitione, præsertim earum, de quibus institueris dicere, pectus artis præceptionibus, tum multo scribendi dicendiq; vsu, diutina meditatione pręparatum, &, quod est totius negocij caput, pectus amans ea quæ prędicat, odio prosequens ea quæ vituperat. His omnibus coniunctum oportet esse naturę iudicium, prudentiam & consilium, quę pręceptis contineri non possunt. Hæc unde te rogo, suppetunt istis, qui nihil legunt præter Ciceronem, qui vnum hunc student No-

cturna versare manu, versare diurna? N. *Atqui non inscite dictum est, qui diutius in sole versati sunt, colorem ducere, & qui diutius in taberna aromataria consederint, odorem loci secum ferre quum discedunt.* BVL. *Mihi vero perplacet ista similitudo. Tincturam modo cutis secum ferunt, & mox euanescentem aurulam. Hac gloria qui contenti sunt, desideant quãtumlibet in myrothecijs aut rosarijs Ciceronis, apricentur in illius sole. Ego malim si quid est bonorum aromatum demittere in stomachum, traijcere in vaenas, vt non solum vicinos odore leui aspergam, sed totus in calescam ipse, vegetiorq; reddar, vt quoties res postulat, prodeat vox quę sani beneq; pasti animi videri queat. Ex intimis enim vaenis, non in cute nascitur oratio, quę moratur auditorem, quę mouet & in quemuis habitum animi rapit. Non hęc eò dico, quod ex Ciceronis libris mediocrem aut pœnitendã rerum cognitionem colligit existimem, sed quod ad parandam orationis opulentiam in quouis argumento solus non sufficiat. Quid igitur superest, nisi vt ipsam etiam Ciceronis imitationem ex ipso discamus Cicerone? Sic illum imitemur, quemadmodum ipse est alios imitatus. Si totus in vnius lectione desedit, si se ad vnius praescriptum addixit, si potiorem habuit verborum quàm rerum curam, si non nisi nocte concubia scripsit, si se totum mensem in vna torsit epistola, si quicquam putauit eloquens quod ad res non congrueret, faciamus eadem vt Ciceroniani simus. Sin haec dissident plurimum ab exemplo Ciceronis, illius exemplo pectus supellectile rerum cognitu necessariarum expleamus, ac prima sit sententiarum cura, deinde verbo-*

rum, & verba rebus aptemus, non contrà, nec inter dicendum vsquam oculos à decoro dimoueamus. Ita demum viuida fuerit oratio, si in corde nascatur, non in labijs natet. Artis præcepta non ignoremus, conferunt enim plurimum ad inuentionem, dispositionem, tractationem argumentorum, & vitanda, quæ vel supersunt, vel officiunt causę, sed quum erit agenda causa seria, primas teneat consilium. Quanquam & in fictis causis, quæ exercitationis gratia tractantur, conducit veris esse simillima quæ dicuntur. Cicero scripsit animum Lelij spirare in scriptis illius. Stultum est autem hoc conari, vt alieno scribas stomacho, desq; operam vt in tuis scriptis spiret animus M. Tullij. Concoquendum est, quod varia diutinaq; lectione deuoraris, meditatione trajciendum in venas animi, potius quàm in memoriam aut indicem, vt omni pabulorum genere saginatum ingenium ex sese gignat orationem, quę non hunc aut illum florem, frondem, gramen'ue redoleat, sed indolem affectusq; pectoris tui, vt qui legit, non agnoscat fragmenta è Cicerone decerpta, sed imaginem mentis omni genere doctrinarum expletæ. Neminem priorum non legerat Cicero, quid quisq; probandum aut reprehendendum haberet, diligenter expenderat, at neminem illorum proprie agnoscas in Cicerone sed vim mentis ex omnium sententijs vegetatę. Si te parum mouet exemplum amasij tui, contemplemur exempla naturę. Apes num ex vno frutice colligunt mellificij materiam, an potius ad omnes florum, herbarum fruticum species mira sedulitate circumuolant, frequenter è longinquo petentes quod condant in aluearia? Nec

ſtatim mel eſt quod adferunt, fingunt ore viſceribusq́ſ ſuis liquorem, ac ipſas transformatum rurſus ex ſeſe gignunt, in quo non agnoſcas, nec floris, nec fruticis delibati ſaporem, odorem'ue, ſed apiculæ foetum ex omnibus illis temperatum. Iam nec iiſdem frondibus paſcuntur capellæ, quo lac illis modo cognatum reddant, ſed omni frondium genere ſaginantur, itaq; non ſuccum herbarum, ſed lac ex illis transformatum referunt. NO. *Refert tamen, unde mellis ſuccum colligat apis, aut qua fronde ſatientur capellæ.* Siquidem *ex taxo toxica mella conficiunt, nec idem erit ſapor lactis è capella quernis frondibus & ſalignis paſta.* BVL. *Aſſentior, ſed veniamus ad artifices.* Qui *laudem præclaram ambiunt in arte ſtatuaria graphica'ue, num ad vnius tantum manus æmulationem addicunt ſeſe; an potius quod in quoq; delectat, id arripiunt ad artis abſolutionem; ſic imitantes vt conentur, ſi queant, anteire? quid architectus parans inſignem aliquam domum abſoluere, num ex vnius ędibus ſumit omnia?* Non opinor, *ſed cum iudicio deligis è plurimis, quod cōſpexerit eſſe felix.* Alio *qui nihil egregię laudis videbitur aſſequutus, ſi spectator agnoſcat hoc aut illud ędificiū imitatione redditum eſſe. Et tamen hic tolerabilius ſit ſeruiſſe exemplari quā in oratione. Quę ratio eſt igitur, nos tanta ſuperſtitione vni Ciceroni addictos eſſe?* Bis *autem peccant qui non ſolum aſſident vni preſcriptio, verum etiam nullis artis rhetoricę pręceptionibus inſtructi, nec alium legunt, q̄ Ciceronem, nec aliud q̄ legunt.* Quid *enim confert oculos in Ciceronem habere fixos, niſi admoueas artifices oculos?* Quid *enim mihi profuerit graphices, ignaro,*

si totos dies spectem Apellis in Zeusibus tabulas? Verum ubi didiceris recte dicendi præcepta, vbi deinde peritus quispiam artifex indicari tibi in aliquot Ciceronis orationibus, in quibus plurimum artis expressit, colorem & statum, tum propositionis feliciter inuentas, mox harum ordinem, partitionem, tractationem, locupletationem, absolutionem totius orationis in proœmio summa, tum coagmentationem singularum partium, ad hæc, consilium iudiciumq;, quod animaduerti potest, arte præcipi non potest, Item prudentiam oratoris, quid quo loco posuerit, quid quare omiserit, quid in quem locum distulerit, præterea quibus rationibus tractet affectus vtriusq; generis, postremo lucem, copiam, ornatum sermonis, tum demum mira perspicies in Cicerone, quę non perspiciat sedulus ille contemplator. Non *enim imitatur artem qui non intelligit, nec intelligit nisi artifex. Arte confectum opus interdum nonnulla voluptate delinit & eos, qui artis sunt imperiti, sed quantulum est quod ille videt?* NOS. *Et artem unde petes rectius quàm à Cicerone?* BVLE. *Fateor, nemo tradidit felicius, nemo vsus est absolutius, sed tamen accuratius præcepit* Quintilianus*, atq; etiam copiosius, qui non præcepta modo proponit, verum etiam elementa, progressum, rationem, vsum, exercitationem ponit ab oculos, non pauca adijciens, quę* M. Tullius vel *prætermisit, vel obiter attigit. quod genus sunt de ratione concitandorum affectuum, de generibus & vsu sententiarum, de modis amplificandi, de inuentione propositionum, de partiendis ijsdem ac digerendis, de transmigratione & concursu statuum, de modo*

legendi, imitandi, scribendi. Verũ præceptiones vt igno rari non oportet, ita nõ conducit in his consenescere, quo rum anxia obseruatio fiat vt peius dicamus quum in hoc reperta sit artis ratio vt bene dicamus. Cõmonstrator ille peritus multo plus contulerit, quàm præceptiones. Id conati sunt nõnulli tum apud Græcos, tum apud Latinos, sed mea sententia, non admodum feliciter. Cauendum est igitur ò Nosopone, ne quod isti faciunt, vix degustatis præceptionibus, tantum assiduitate legẽdi Ciceronem confidamus nos fore ciceronianos. Nam hi si quid assequuntur ciceronis, præter summam cutem, umbram & auram modo quandam nihil assequuntur. N. Tales esse permultos haud inficior Bulephore, nec mihi placuit unquam illorum ratio. B V L. Nec tua causa hæc moneo, mihi & Hypologo canitur hæc cantio. Nunc & illud æquis iudicijs expendamus vir amicissime, Primum an deceat nos, deinde num operæprecium sit tantis vigilijs emere Ciceroniani cognominis honorem? NOS. Nihil honestius. Quod autem honestum, idem non potest non esse decorum. B V L. Vt de decoro disquiramus, Fateris opinor M. Tullij dictionem non placituram fuisse seculo Catonis Censorij, quippe comptiorem magisq; lasciuientem quàm illius ætatis moribus cõueniebat. Frugalis erat vita, frugalis erat oratio. quin & ea ætate qua viuebat Cicero, non deerant viri priscam illam seueritatem adhuc spirãtes, veluti Cato Vticensis, & Brutus, & Asinius Pollio, qui seuerius quiddam, minus theatricum, magisq; masculum requirerent in Ciceronis eloquentia, & tamen illis temporibus eloquentia florebat, vt quum maxime, tum in populari

conuentu, tum in confessu patrum, tum in iudicijs, adeo, vt ornamenta iucunditatemq́; dictionis & expectarét & exigerent à patronis iudices. Quod igitur parum virile ducebatur in Cicerone, num putas decorum videri christianis, quorum omnis ratio magis spectat ad bene viuendum, quàm ad ornate comptéq́; dicendum, à quorum moribus oportet plurimum abesse, quicquid ad fucos & scenicam delectationem accedit? Sed fac esse decorum, quos fructus speras tantis pares sudoribus? Finis totius huius studij est persuadere. At quãto hic erat potentior photió quàm Demosthenes, Aristides quàm Themistocles, quanto efficacior cato quàm cicero. qui reos nonnunquam grauabat suo patrocinio, accusatione subleuabat. Nihil hic moror illa magnifice sanè dicta, Pulchrius est esse Phidiam, quàm scriniarum aut coquum, quum horum opera magis necessaria sint reipub. quàm signa Phidię. Pictorum ac statuariorum ars delectandis oculis reperta est, id vbi pręstitit, absoluit munus suum. Eloquentia quę nihil aliud quàm delectat, non est eloquentia nimirum in aliud reperta, quod nisi pręstat, nec decora videri debet bono viro. Verum vt olim fuerit vtilis eloquentia ciceronis, hodie quis est illius vsus? An in iudicijs? Ibi res agitur articulis ac formulis, per procuratores & aduocatos, quiduis potius q̃ ciceronianos. Apud iudices, apud quos barbarus esset cicero. Neq; multo maior vsus in concilijs, vbi singuli paucis aperiunt quod videtur, idq́; Gallice, aut Germanice. Maxime vero res hodie per consilium, quod arcanum vocant, conficiuntur, ad id vix tres homines adhibentur, illitterati ferè, reliquis licet con-

sultare. Iam etiam si res ageretur hodie Latine, quis ferret Ciceronem ea perorantem quę dixit in verrem, in Catilinam, in Clodium, in Vatinium testem? Quis senatus tam ociosus, tam patiens, vt perpessurus sit orationes quas dixit in Antonium, quum in his tamen senilior sit minus redundans, minus exultans eloquentia? Itaq; cui tandem vsui paramus hanc operosam Ciceronis eloquentiam? Num concionibus? Vulgus Ciceronis linguam non intelligit, & apud populum nihil agitur de rep. Sacris vero concionibus minime congruit hoc dicendi genus. quis igitur superest vsus, nisi forte in legationibus, quę Romę præsertim Latine peraguntur, ex more magis quàm ex animo, & magnificentiæ causa potius quàm vtilitatis gratia. In his enim ferè nihil agitur rei seriæ, in laudibus eius ad quem mitteris, in testificatione beneuolentię illius à quo mitteris, et in locis quibusdã vulgaribus consumitur omnis oratio. quid multis? Totum hoc eius generis est, vt rem magnam pręstiteris, si speciem adulationis vitaris, quum ipsam adulationem nõ liceat. Frigidius etiam est, quod huic ex more respondetur, interdum non sine graui tędio prolixę dictionis, nonnunq̃ & pudore illius qui laudatur immodice, sępe dicentis non pudore tantum, sed et periculo, dum sudat recitans quę edidicit, dum hęret, dum sibi aliquoties excidit, vel obliuione, vel animi perturbatione. quid autem admirationis habeant tales orationes, quum ferè qui recitat, ab rhetore quopiam elaboratam edidicerit? ut ad oratorem nostrum nihil redeat laudis prę ter recitandi fortitudinem. Hic itaq; pręter salutationis officium nihil agitur, quod est serium priua-

tim literis & Gallicis colloquijs peragitur. quod igitur petet noster Ciceronianus? Scribet epistolas Ciceronianas. Ad quos? Ad eruditos. Paucissimi sunt, & hi nihil morantur Ciceronianam phrasim, modo sit sana, prudens, munda, doctáq; oratio. Ad quos igitur? Ad quatuor Italos qui se nuper iactare cœperũt Ciceronianos, quum vt ostẽsum est, nihil sit Ciceroni dissimilius, uixq; tenuem umbram habeant Ciceronis. Quod ipsum quicquid est, si minimo constaret, si presto esset vltro, si non officeret maioribus commodis, fortasse non esset reijciendum. Nunc fac rationem tecum meas, num hoc laudis sit tot vigilijs, tot sudoribus redimendum, non sine periculo valetudinis, vt à quatuor ineptis Italis adolescentibus recipiaris in catalogum Ciceronianorum. NOS. Non probas bene dicendi studium? BVL. M. Tullius non requirit à philosopho eloquentiam. An quẽquam existimas inter ethnicos philosophos tam seuerũ, vt putes cuiuis Christiano preferendum? HYP. Imò tota Grecorũ philosophia pre philosophia Christi somnium est ac nugamentũ. BVL. qua igitur fronte nos exigimus à Christiano Ciceronianam eloquentiam, hoc est & immitabilem, & quàm ethnici, viro graui vix decoram existimarunt? Nec statim male dicit, qui secus dicit q̃ Cicero dixit. Nec omnino, quod crebro repetendum est bene dicit qui non dicit apte. Ad hec inutilis est armatura, que quũ tantum ad ostẽtationem valeat, nec ad manum est, vbi res virum postulat interdum res urget, ut eodem die viginti scribamus epistolas. quid hic faciet meus Ciceronianus? Ad hec quotusquisq; nunc est, qui Ciceroniana phrasi capiatur? Quid quod Cicero varius est

indicendo? Alius *est, quum sermone remisso placi-doq; docet philosophiam, alius in actionibus causarum, alius epistolis, in quibus ferè neglectus est & illaboratus sermo atque hoc ipsum decet epistolam, quę in familiaris colloquij vicem succeßit.* An non igitur *præpostere fecerit, qui ea cura conscribat epistolam de re familiari, qua* Cicero *meditatus est orationem pro* Milone? Et nos *epistolæ non longæ de rebus non ita magni momenti dabimus operam menstruam?* Ne M. *quidem* Tullius *tanti redempturus erat eloquentiam quàm præstat in causis, si tot vigilijs constitißet, quanti nobis constat epistola, quum illis temporibus tantus eßet in* Repub. *vsus eloquentiæ, quum hoc studium publice priuatimq; floreret, quum longe parabilior eßet ea facultas.* Iure *derisus est quidam qui multis diebus se torserat, nec adhuc potuerat orationis exordium inuenire, quod affectaret melius dicere quàm poßet.* Est *in* Cicerone *felix quædam facilitas, naturæ donum, est natiua perspicuitas.* Hoc *si nobis natura negauit, quur nos ipsos frustra discruciamus?* Quanto *vero longius absunt à sana mente, qui temporibus alienis, qui rerum humanarum tota inuersa scena, quum vix vsquā sit Ciceronianæ dictionis vsus, hoc vno studio sese macerant, vt videantur Ciceroniani, nec quicquam aliud quàm Ciceroniani.* NOSOPONVS. Belle *tu quidem rhetoricaris, verum hunc affectum non possum excutere, adeo penitus insedit animo meo.* BVLEPHO. A *mediocri æmulandi studio te non reuoco, modo qua est optimus hàs æmularis potiùs quàm sequari, modo studeas æqualis eße verius quàm simi-*

lis, modo ne pugnes aduersus genium tuum, modo ne sic affectes congruere Ciceroni tuam orationem, vt rei, de qua loqueris, non congruat. Super hæc omnia, absit anxietas, quæ nusquam non est infelix, sed haud alibi quàm in dicendo infelicior. Postremo ne sic affectus sis, vt quod si sequeris, non assequaris, vitam acerbam putes, nec viuere libeat non Ciceroniano, quum tot sint hominum eruditorum milia, qui sine hoc titulo & viui laudem egregiam, & mortui nominis immortalitatem sunt assequuti. NOS Hunc in modum nunc quidem affectus sum. BVLE. Idem affectus & me quondam habuit, sed ab eo morbo reualui. NOS. Quo tandem pacto? BVL. Adhibui medicum. N. Quem obsecro. BVL. Facundum & efficacem. NOS. Quem inquam? BVL. Ad quem nihil Aesculapius aut Hippocrates. NOS. Enecas. BVL. Quo nemo paratior, nec amicior, nec fidelior, nec curat hepar aut stomachũ, hominis intima sanat. NO. Si nomen ędere grauaris, saltem indica pharmacum. BV. Et nomen & pharmacum scies, ὁ λόγος τῷ λόγῳ mihi medicatus est. HYP. Verissima prędicas, ψυχῆς νοσούσης ἐστὶν ἰατρὸς λόγος. B. Sic ab eo morbo reuixi Nosopone. Quod si voles hic aliquãtisper eius quàm prius gessi personam suscipere ego τοῦ λόγου vices obiero. N. Suscipio, quando ita videtur. B. Quum me vehemens teneret morbi paroxysmus, sic adortus est medicus, quemadmodum nunc loquor tibi. Pudor, inquit, te malus vrget infelix, qui ferre non possis conuicium cum tot hominum milibus commune. N. Quod nam? BVL. Quia negaris esse Ciceronianus. N. Isthuc me discruciat fateor. BV. At responde mihi

per musas, quem mihi dabis Ciceronianum, prçter unũ Ciceronem? A veteribus ordiamur. In oratorum catalogo quem perlongum in Bruto contexuit M. Tullius. vix duo sunt, quos dignetur oratorũ titulo, tantum abest ut Ciceroniani videri queant. Iam C. Cçsar Ciceronianus dici non potest, vel quia vixit ijsdem temporibus, vel quia lõge aliud dicendi genus sibi proposuerat, contentus eleganter propriéq; dicere. At hæc quantula est Ciceronis portio? Neq; enim tam prçclarum est oratorem latine dicere, quàm turpe nescire latine. Ad hçc nihil extat Cçsaris præter epistolas aliquot, & Commentarios rerum ab ipso gestarum, quanquam eruditi de horum aütore vehementer ambigunt. Nulla certe extat oratio, quum hic demum excelluerit Cicero. Idem mihi dicere licet de M. Cælio Planco, Decio Bruto, quorum satis multas habemus epistolas, Tyronis studio seruatas. Pauciores Cn. Pompei, L. Cornelij Balbi, Lentuli, Cassij, Dolobellç, Trebonij, P. Vatinij, Seruij, Sulpitij, Auli Cecinnç, Bithynij, M. Bruti, Asinij Pollionis, C. Cçsaris & si qui forte sunt alij, quot constat eadem çtate fuisse cum Cicerone, vt non magis conueniat M. Cçlium dici Ciceronianum, quàm Ciceronem Cælianum. Nec in his epistolis quicquam congruit præter sermonis Romani dilucidam & inaffectatam elegantiam. At in hoc nõ est totus Cicero, quem tibi proponis æmulandum. quid enim nunc commemorem de Crispo Salustio, qui quum eiusdem fuerit ætatis, dictione dissimillimus est Ciceroni. NOS. Nec cõmemora mihi priscos illos horridos et impexos, quum nondum unà cum moribus enituisset eloquentia, nec eos qui pariter cum

Cicerone decurrerunt, eos refer qui Ciceronem sequuti sunt? BVL. Age num tibi Seneca videtur Ciceronianus. N. Nihil minus, presertim in oratione soluta. Nam tragœdiæ quę probantur à doctis, vix videntur à Seneca scribi potuisse. B. Num Valerius Maximus? NOS. Tam similis est Ciceroni, quàm mulus homini, adeo vt vix credas vel Italum fuisse, qui scripsit, vel hoc ætatis quod prę se fert, vixisse, tam diuersum est totum dictionis genus, Afrum quempiam esse dicas, nec vllum carmen elaboratius. BVL. Quid Suetonius? NOS. Non paulo longius abest à Cicerone quàm Seneca, nec verbis, nec structura, nec perspicuitate, nec figura dictionis, nec vrbanitate referens M. Tullium. BVL. T. Liuium hoc honore dignaris? NOSO. Primum historicus est, deinde in compositus, nonnullis etiam Patauinitatem quandam resipere dictus est, hoc est, minus Romane dicere. BVL. Iam Cornelium Tacitum conferre non audeo. NOSO. Nec opus est. BVL. Fortasse quintilianum recipies in hoc album. NOSO. Is affectauit etiam Ciceroni dissimilis esse, cuius vtinam extarent declamationes, nam quas habemus minimum habent Ciceronis. BVL. Sed habeo quem non contemnas quintum Curtium. NOS. Historicus est. BVLE. Est, sed in historijs extant aliquot orationes. N. Cęteris candidior est, sed nihil aiunt, ad Parmenonis suem. Habet multas sermonis formulas à Ciceronianis diuersas. BVL. Si hunc rejicias, non recipies opinor, Aelium Spartianum, Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium, Vulcatium Gallicanum, Trebellium Pollionem, Flauium Vopiscum. Aurelium Victorem.

N. In his vix est quod probes prêter historię fidem, tan tū abest vt eos ciceroniani cognominis honore digner. Nam ęgre tuentur sermonis Latini castimoniam. BVL. En adest Probus Aemylius. N. Candidus est laudator omnium quorum vitam describit, vt encomiasten dicas verius quàm historiographum. BVL. At Amianum Marcellinum fortaße recipies. N. Difficilis est in eloquē do, ac subinde compositio carmen moliri videtur, quum dicit, vt captiuos redderet nostros. Velleium Paterculum citius agnouerim, q̃q̃ nec illum dignabor hoc honore. BVL. Minus, opinor, agnosces epitomographos, Florum, Eutropium Solinum inter Agnoscam si quisquam Eruditus illos agnoscit, hoc sanè nomine, referunt enim quos imitantur. BVL. Verum retro mihi cursus flectendus est, duos Plinios prętermisimus. Maiorem scio non feres hic nominari, Iuniorem fortassis admittes. NOS. Imò qui sunt huius causæ censores cum primis vetant contingi ab adolescentibus huius epistolas, ne pro ciceronianis euadant Pliniani. BV. At felicius scripsit orationem qua Traianum laudat. N. Felicissime, sed Ciceronem non exprimit. B. Poetas sciens prętereo, facile diuinans quid sis responsurus, etiam si clarissimos ac felicissimos omnium proposuero, Virgilium, Oratium, Ouidium, Lucanum & Martialem. N. In Oratio nullum ciceronis vestigium, in Virgilio nōnullum, licet obscurū. Ouidius inter poetas Cicero videri pōßet, Lucanus dictus est Oratori q̃ Poetæ similior, sed alienissimus ab imagine Ciceronis, Martialis ad Nasonis facilitatem plurimum accedit, & aliquid Ciceronianæ laudis illi poterat tribui, ni in libros aliquot epistolis præfatus eēt,

deum immortalem, quàm non Ciceronianis. B. quid si proferam Lucretium? N. Eadē opera profer & Ennium, et Lucilium. B. A. Gelij candidissimam phrasim mirantur eruditi. N. Nec argumentum conuenit nec phrasis, primum affectata, et verborum copia penè superfluens, re⁊ supellectile frugalis. B. En tibi Macrobius. N. Aesopicam corniculam mihi nominas, ex alio⁊ pannis suos contexuit centones, itaq; sua lingua non loquitur, & si quando loquitur, gręculum latine balbutire credas. quod genus est illud ex commentario in Somnium Scipionis secundo. Et hoc esse volunt quod Homerus, diuinarum omnium inuentionum fons & origo, sub Poetica nube figmenti, ve⁊ sapientibus intelligi dedit. B. At Symmachum in epistolis argutum admirantur quidam. N. Admiretur quibus studio est moleste potius q̄ bene dicere. B. Sed heus, Apuleus nobis pręteritus est. N. Hunc Ciceroni conferam, quum libebit graculum comparare luscinię. B. Sit sanè, in Asino & floridis, at in Apologijs accedit. N. Minus quidem abest, sed immenso sequitur interuallo. Cęterum & Martianum Capellam oblitus es, si tales liber proferre. B. quid si veniamus ad semichristianos? quis tibi videtur Boetius? N. Egregius philosophus, Poeta non pessimus, à Ciceronis dictione longe semotus. B. quis Ausonius? N. Ingenium ac doctrinam tribuo, stylus aulę delicias licentiamq; resipit, quemadmodum & vita, Ciceronianus adeo non est, vt studio habuisse videatur aliter dicere q̄ dixit Cicero, Proinde qui Ciceroniani nomen illi velit ascribere pro honore contumeliam irrogarit homini, non aliter quàm si quis Germanum appellaret, qui studeret haberi Gallus, etiā

si Germanus esset. B. Ne te longis ambagibus circumagam, veniamus, si videtur ad Christianos, si quem forte reperiamus, qui Ciceronianus dici mereatur. Inter hos opinor probabis Lactantium, qui Ciceronianæ eloquentiæ lacteo flumine manare dictus est. NOS. Dictus, sed ab eo qui ciceronianus non erat. B. Verum illud inficiari non potes, Lactantium ciceronis eloquentiam affectasse. Id declarat in tertium institutionum librum præfatio, in qua defensurus christianę philosophię veritatem, optat eloquentiam, si non Tullianam, certe Tullianæ proximam. NOS. Nec prorsus infeliciter affectauit, quanquam assequutus non est. B. Qui sic? N. Quoniam in prima statim operis præfatione sic loquutus est, Alioqui nihil inter deum hominemq; distaret, si consilia & dispositiones illius maiestatis ęternæ, cogitatio assequeretur humana. Vbi cicero dixit dispositiões pro decretis? B. Imò dum ciceronianus esse studet, factus est ciceroni dissimilis. Est enim hoc ciceroni, rem eandem duabus vocibus idem aut propemodum idem significantibus inculare. Hinc est illud consilia & dispositiones. Qui scis an et vocalium hiatum captarit, vt ciceronianus esset in consilia, & rursus incogitatio assequeretur. Fortassis & compositionem affectauit, scazontis clausula, comma finiens, velut in balneatore & archipirata. Cuiusmodi clausulis frequêter vtitur in eadem præfatione, vt in prima statim periodo inhęrere, & rursus, instruere possimus, ac mox, apud gręcos, atq; iterum, luce orationis ornata, & αὖθις αὖ, honesta suscepta mox & honorasti, nec multò post nominis tradas, iterum, vt sequerentur hortaret, item aliquanto post reliquerunt.

Hoc

Hoc certe Tullianum habet, quod subinde dittrochæo finit, vt contu erunt, conuocamus, sopiamus, inchoauimus, semel ponit in clausula, quæsisse videatur. Hæc indicant illum in magno studio Ciceronis imaginem affectasse. Verum hoc nomine iustius reijceres Lactantium à titulo Tullianorum, quod nec eruditionem, nec vim, nec pectus attulerit ad defensionem philosophiæ Christianæ, quæ M. Tullius attulit ad actionem causarum ciuilium. BVL. *E reliquorum numero quem primum aut vltimum proferam? Cyprianum?* N. *Christianæ scripsit verius quàm Cicerone.* BVL. *Hilariũ?* *Ohe, nihil simile. Difficilis est & obscurus in eloquendo, & Gallico, vt inquit ille, cothurno attollitur, verba quoq; multa secum trahens, quæ non sunt Tullianæ puritatis.* B V L. *Sulpitius opinor, videbitur hoc honore dignus.* N O S O. *Est ille quidem & mollior et iucundior, & dilucidior, & illaboratior Hilario, sed phrasis Gallũ fuisse declarat. Non deest pietas, sed abest vis & grauitas, & est floridum dicendi genus magis quàm neruosum.* BVL. *Tertullianum igitur admittes.* N. *Irrides, Is prudens ac sciens obscurauit malis verbis bonas sententias, vel ipso durior Apuleio.* B. *Certe facundissimum illum simul & doctissimum Hieronymum non repelles.* N O S. *Agnosco virum doctrina facundiaq; præcellentem, Tullianum non agnosco, qui flagris ab imitatione Ciceronis depulsus est.* B V L. *Augustinum igitur?* N O S O. *Is hoc habet Ciceronis, quod prælongo ambitu circunducit periodum, vt frequenter ergo reuocet à diuerticulo in viam. Verum non æquè ac Cicero, prolixum orationis ductum, membris &*

incisis distinguit, nec facilitatem in dicendo, nec felicitatem in tractando reddit. BVL. Paulinum? N. Vix vmbram habet Ciceronis, nec sententijs, nec verbis ad modum felix. B. Ambrosium igitur. N. Romanum oratorem agnoscas, non Ciceronianum. Gaudet argutis allusionibus, acclamationibus, nec præter sententias quicq̃ loquitur, membris, incisis, comparibus numerosus ac modulatus, suum quoddam dicendi genus habet alijs inimitabile, sed à Tulliano genere diuersissimum. B. Saltem agnosce Romanum Gregorium, eius nominis inter Pont. primum. N. Agnosco virum pium, ea loquentem quæ sentit. Et hic propius accedit ad M. Tullium quàm Ambrosius, sed fluit lutulentus, & Isocraticę structuræ quasi seruit oratio, quod est à Cicerone alienum. Sic enim puer in scholis assueuerat. BVL. At Tusci Leonis, qui fuit eius nominis primus Romanæ vrbis Pontifex, eloquentiam mirantur omnes. NO. Est fateor huius bene numerosa, satisq́; perspicua dictio, nec ineptis sensibus sed nihil ad Ciceronem. B. quid si tibi Bernardum, è Burgundionibus adducam? N. Agnosco virum bonum, quę pars est oratoris, natura compositum ad vrbanitatem & ad dictionis leporem, sed adeo non Ciceronianum, vt ex scriptis vix suboleat unquam illi lectum Ciceronem. B. Posteaq̃ hunc reijcis, non ausim tibi proponere Bedam, Remigium, Claudium, Hesychium, Anselmum, Isidorũ. N. Desine mihi κολοβώτας istos commemorare, quum aliena lingua loquantur Deteriora faciunt quę referunt, dum sua promunt, vix loquuntur. In his ægrotabat eloquentia. B. At vereor ne mortuam dicas, si posteriores commemorauero. Præter

mittam igitur Alexandrum Halensem, Petrum Gandauensem, *& huius farinæ scriptores innumeros, duos* κορυφαίους *proferam*, Bonauenturam, *&* Thomam. N. Bonauentura *satis affluit verbis, sed qualiscunque*, Thomas Aristotelicus *prorsus est*, ἀπαθὴς *in dicendo, tantum hoc agens, vt doceat lectorem*. B V L E. Verum, *in quæstionibus, cæterum vbi rhetorē aut poetam agit, satis spirat* Ciceronem. N O S O. *quæ mihi narras poemata?* Mihi vero nusquam videtur *infantior, quàm quum affectat oratoriæ dictionis fluxum, id quod facit in tractanda materia de eucharistia. Sed age missos fac theologos istos scolasticos, à quibus frustra requiras vllam eloquentiam, nedum* Ciceronianam*, alios profer, si quos habes*. B V L E. Age redibimus ad aliud *scriptorum genus nostro seculo vicinius*. Nam aliquot *ætatibus videtur fuisse sepulta prorsus eloquentia, quæ non ita pridem reuiuiscere cœpit apud* Italos, *apud nos multo etiam serius*. Itaque *reflorescentis eloquentiæ princeps apud* Italos *videtur fuisse* Franciscus Petrarcha, *sua ætate celebris ac magnus, nunc vix est in manibus*, ingenium *ardens, magna rerum cognitio, nec mediocris eloquendi vis*. N O S O. Fateor, Atqui *est vbi desideres in eo linguæ Latinæ peritiam, & toti dictio resipit seculi prioris hororem. quis autem illum dicat* Ciceronianum, *qui ne affectarit quidem?* B V L. *quid attinet igitur referre* Blondum *ac* Boccatium, *hoc inferiores tum in dicendi viribus, tum in* Romani *sermonis proprietate?* Ne Ioannem quidem Tortellium *audies*. N. Non *audiam in his quidem comitiis*. B V L. *Hunc sequutus est ingens prouentus eruditorum*

certatim sese ad Ciceronis imitationem componentium. Et quem ex hoc numero dignaberis istius cognominis honore? Num Franciscum Philelphum? N. Planè dignarer si tam placeret eruditis omnibus, quàm placuit sibi. Et affectauit quidem illo sedulo Ciceronis effigiem sed parum feliciter. Nec vsquam illi dissimilior est, quã vbi maxime oportuit esse similem, nimirum in orationibus. Nam in epistolis satis adumbrat M. Tullium. Neq; hæc dixerim in cuiuspiam contumeliam. Agnosco viros æternæ posteritatis memoria dignos, ac de studijs optime meritos, sed diuinum quiddam est esse Ciceronianum. B V L. Leonardus Aretinus mihi videtur alter Cicero. NOS. Facilitate dictionis ac perspicuitate satis accedit ad Ciceronem, sed neruis alijsq; virtutibus aliquot destituitur, alicubi vix tuetur Romani sermonis castimoniam, alioqui vir doctus iuxta ac probus. BV. Guarinum sat scio non recipies, nec Lapum, nec Acciolum, nec Antonium Becariam, nec Franciscum Barbatium, nec Antonium Tudertinum, nec Leonardum Iustinianum, nec Achillem Bochium, & si qui sunt qui mihi nunc non succurrũt, maxime quod horum pleriq; non alio monumento nobis innotuerunt, quàm vertendis Græcis, vbi nulla laus inuẽtionis, quæ præcipua pars est eloquentiæ. N O S. Istorum neminem contemno, neminem tamen dignabor Tulliani cognominis honore. B. Proferam itaq; Pogium Florentinum, viuidæ cuiusdam eloquẽtiæ virum. NOS. Naturæ satis erat, artis & eruditionis non ita multum, interim impuro sermonis fluxu, si Laurentio Vallæ credimus. B. Vallam igitur in illius locum substituamus. NOS. Is propius acce,

dit ad curam ac subtilitatem Quintiliani, quàm ad illaboratam. Ciceronis facilitatem, quanquam cęteris elimatior puriorq;. BVL. Multos prętereo sciens, quorum nomina sat scio non ferent aures tuæ, eximios tantum refero. Si quem alium, certe magnum illum Hermolaum Barbarum in huius cognominis honorem admittes. N. Vere magnum ac diuinum hominem protulisti, sed in dicendo Ciceroni dissimillimum, & ipso penè Fabio Plinioq; elaboratiorem, cuius eloquentiæ nonnihil effecit philosophiæ studium. B V L. Quid Ioannem Picum Mirandulę comitem? N O S. Indole planè diuinam narras, ingenium ad omnia factum, sed huius quoq; dictionem nonnihil vitiauit linguarum ac philosophiæ atq; etiam theologiæ cura. B V L. Nosti gentilem huius Franciscum Mirandulanum. N O S O. οὐδ' ἴκτινος, aiunt, nimium philosophus ac theologus est, alioqui vir magnus. Cæterum qui conuenit, vt eum recenseas inter Ciceronianos, qui cum Petro Bembo disputans, damnat addictis exprimendo Ciceroni. B V L. Næ tu summam laudem illi tribuisti, si quis tamen omnino nimium Theologus esse potest. N O S. Potest ad huius palmę conditionem. B V. Bene habet, vnum, ni fallor, reperi, quem non reijcies, Angelum Politianum. Nam Marsilium Ficinum proferre non audeo. NOS. Fateor Angelum prorsus angelica fuisse mente, rarum naturæ miraculum, ad quodcunq; scripti genus applicaret animum, sed nihil ad phrasim Ciceronis, diuersis virtutibus suspiciendus est. BVL. Si producam in hunc ordinem Codrum Vrceum, Georgium Trapezontium, si Theodorum Gazam, Ianum Lascarem, Georgium

Merulam, M. Musurum, Marullum, propè diuino quid dicturus sis. Submouebis ab hoc certamine totum Græcorum genus, quibus inuisus est tuus amasius Cicero. Verum olim in his comitijs habere suffragium, iram, odium, aut amorem. NOS. Nec habebunt. De Iano, *quoniam adhuc superest, dicendum est parcius, Morum comitate generis nobilitatem præ se fert, acri iudicio vir, multę in epigrammatibus argutię, poterat inter Ciceroniani cognominis candidatos numerari, ni crebrę legationes ac regū negocia reuocâssent. hominem à Musis.* Codro nec Latinæ linguæ *facultas deerat, nec vrbanitas, verum homo non dissentiens ab* Epicuro, *neglexit hanc laudem, vt non vulgarem, ita nec paruo parabilem.* Georgium Trapezontium *fateor virum egregie doctum, deq; re literaria pulchre meritum, & hoc absolutiorem* Theodorum Gazam, *quorum ille se ad Ciceronis dictionem effingendam studio composuisse videtur, hic* Aristotelem *exprimere maluit, quo non alius felicior, siue vertit Græca* Latine, *siue* Latina *Græce, quum sua loquitur duo quædam obstrepunt delicato lectori, philosophiæ studium, in quo totus erat, & illud* γνῆσιον *Gręci sermonis, quod* Latine *loquentes sequi solet, ac vix unquam dediscitur.* B V L. Q*uid vetat quo minus Gręcus absoluat* Romanam *linguam, si* Britannis *ac* Phrysonibus *hoc contigit? præsertim quum sermo Græcus tum in verbis, tum in tropis plurimam habeat affinitatem cum* Latino. N O S. Q*uid* Britannis *ac* Phrysonibus *contigerit, alijs æstimandum relinquo, mihi videtur affinitas sermonis obstare puritati, Citius enim pure* Romane *loquetur* Hybernus,

quàm Gallus aut Hispanus. quemadmodum citius Gallus discet Germanicè loqui purè, quàm Italicè aut Hispanicè. Sed pergam; Georgium Mærulam Alexandrinum esse scio, an Græcus fuerit nescio, vir in reddendis Græcis splendidus et elegans, vt cum veteribus multis conferri queat. Marulli pauca legi, tolerabilia, si minus haberent paganitatis. M. Musurum propius noui, virum insigniter eruditum in omni disciplinarum genere, in carmine subobscurum & affectatum, oratione prosa, præter vnam alteramue præfationem nihil quod sciã reliquit, mirabar hominem Græcum tantum scire Latine. Et hunc fortuna retraxit à Musis, dum Leonis fauore Romam accitus incipit Archiepiscopus esse fato præreptus est. B. Recipies igitur Pomponium Lætum. N. Is elegãtia Romani sermonis contentus, nihil affectauit vltra. BVL. Platynam igitur? N. In historia valiturus erat si nactus fuisset argumentum felicius. In optimo ciue & Panegyrico nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem, sed tanto interuallo, vt hoc cógnomen nó promereatur eruditorũ calculis, alioqui vir doctus, facundus, et ni fallor, bonus. B. quid Philippum Beroaldum maiorem? Video, abnuis, id sciebã fore. N. Imò animo, si mihi commendas hominem de literarũ studijs præclare meritum, sin postulas eum in Ciceronianorum ascribi catalogum, abnuo. Philippum Beroaldum iuniorẽ citius recepero, quãquam is perpauca misit in literas. B. Iam frustra tibi recenseam Georgium Valla; Christophorũ Landinum, Mancinellum, Petrum Marsum, Baptistam Pium, Cornelium Vitellium, Nicolaos Leonicenum & Leonicum; Bartholomeum Scalam, Paulum Cor-

tesium, Petrum Crinitium, Iacobum Antiquarium. NOS. Vt tu farragine quadã confundis diuersos, Mancinellos, Vitellios ac Marsos sile, quum agitur de eloquẽtia. Baptista Pius suo more loqui conatus est. Scala sibi videbatur Tullianus, Politiano ne Latinus quidem videtur, adeo vt ne sensum quidem communem illi tribuerit. De Paulo Cortesio post dicetur. Petrus Crinitus multum abest à charactere Ciceroniano, quanquam hominis eruditioné amplector. Leonicenus medicus erat, non rhetor. Leonicus in adytis phylosophiæ, præsertim Platonicę, semper religiose versatus, ad Platonis ac Ciceronis Dialogos effingendo sese composuit: & pręstat eloquentię tantum, quantum fas est hodie à tali philosopho requirere, Ciceronianus appellari nec ipse cupiat, ni fallor, adhuc enim superest, vir non minus integris moribus, quã eruditione recondita. BV. quid de Domitio Calderino. N. Bona spes erat, ni Romanę delicię, mox prępropera mors intercepissent iuuenis bene cœptum in studijs cursum. B. Porrò Scipionem Carteromachum. N. Agnosco virum citra ostentationem in vtraque literatura doctum, cęterum ex his quę scripsit nõ apparet illum affectasse Tullianam eloquentiam B. Non reijcies opinor Hieronymum Donatum Patritium Venetum. N. Epistolę, quod penè solum illius habemus, declarant illum quiduis pręstare potuisse, si voluisset huc animum intendere, sed reipub. negocia distraxerunt hominem ab ocio literario. B V L E. Agnoscis Antonium Sabellicum? N O S O. Agnosco natura facundum, nec artis expertem. Nec infeliciter rhetoricatur interdum: In historia sat splẽdide versatus, sed in hac tantum, quę

suum dicendi genus desiderat. BVL. *Hactenus de mortuis plerisque, nunc viuorum, vt aiunt, meminisse oportet, de quibus fortasse vereberis quid sentias proloqui.* NO. *Minime, quandoquidem fateor hoc laudis vix vlli mortalium adhuc contigisse.* BVL. *Nosti Paulum Aemylium?* NOS. *Hominis & reconditam eruditionem, et diligentiam, & vitae sanctitatem, & summam in historia fidem exosculor, Tullianam dictionem nec affectauit, nec habet.* BVL. *Profero Baptistam Egnatium.* N. *Virum non minus probum & integrum quàm eruditum & eloquentem nominasti, sed cui Tulliani cognominis honorem negant doctorum suffragia. Docte loqui maluit quàm Ciceroniane. & quod voluit assequutus est.* B V L. *En tibi Paulum Bombasium.* N O S. *Equidem exosculor Paulum Bombasium prorsus aurei pectoris hominem, quo vix alius unquam vixit amico amicior, sed valetudini parcens, non admodum indulsit stylo. Mox vt erat animi minime abiecti, sordidorum competitorum improbis contentionibus offensus, Nam Bononiae publico salario Graece profitebatur, ad reipublicę negocia sese contulit, tandem accitus Romam, augere rem maluit quàm literis insenescere.* B V L E. *Fortassis ęquior eris iunioribus. quid censes de Andrea Alciato?* N O S. *Referam quid eruditi sentiant, qui propius hominem nouerunt quàm ego. quam laudem M. Tullius partitur inter Q. Scęuolam & M. Crassum, quorum hic dictus est eloquentium iurisperitissimus, ille iurisperitorum eloquentissimus, totam in hunc vnum competere iudicant. Quid possit eloquentia, declarauit in praefatione, quàm Cornelio Tacito praefixam legi*

mus. Nam *in annotationibus docere proposuit, non rhetoricari*. BVL. *Ex Italis opinor, non ita multos pręteramisimus memorabiles*. *Sed heus, occurrit* Hieronymus Aleander *nuper fauore* Clementis, VII. *Archiepiscopus* Brundusinus, *quem fortaße pręteritum nō oportuit in hac recensione*. N. *quid is poßit in hoc genere? non satis liquet ex his quę scripsit*. *Nam & admodum pauca venerunt in lucem, in quibus ipsis non videtur hanc laudem ambiße, & iam pridem ciuilia, bellicaq́; negocia aliò rapuerunt hominem peritia linguarum eleganter instructum, ac prorsus indignam qui prophanis negocijs seruiat*. B. *Equidem arbitror* Albertum *Carporum principem, propius ad* Tullianam *phrasim accedere* q̃ Alexandrũ. *Nihil hic ędidit hactenus, quod equidem sciam, vnicum duntaxat librum, aut si mauis prolixam epistolam, ab illo scriptam vidi qua respondet* Erasmo; *tametsi sunt, qui ceu compertum aßeuerant eius operis alterum eße* Fabrum. NOS. *Accedit ille quidem, quisquis est quatenus licuit homini in theologicis ac philosophicis literis ab adolescentia versato*. BVL. *Vides quàm multos celeberrimi nominis scriptores commemorarim* Nosopone, *quorum nemini fateris* Tulliani *cognominis decus obtigiße*. *Fortaße nonnulli fallunt meam memoriam, tu suggere, si quos nosti* Hypologe. HYP. *Duos* Cęlios, Rhodiginum *&* Calcaginum *nescio an volens prętermiseris*. B. *Planè imprudens*. NO. Rhodiginus *vir erat pius & varię lectionis, in eloquentię certamen haud quaquam asciscendus, alter tum eruditione, tum eloquentia superior, stylus elegans & ornatus, sed nonnihil resipiens philosophiam scholasticam*,

quę res hactenus officit, non vt non possit inter facundos numerari, sed ne inter Ciceronianos. B V L. *Pauculos prætereo sciens; ad quorum commemorationem ipsa se nus reducet oratio tempestiuius.* Interim *si placet, in* Galliam *& olim & hodie studijs florentissimam ali quantisper migremus, ex ea duntaxat pręcipuos relatu ri, qui nuper scriptis in lucem ęditis eloquentię laudem emeruerunt.* Robertus Gaguinus *non ita pridem habi tus est magni nominis, dictionis tamen quàm scriptis vẽ dibilior.* N O S. *Verum suo sęculo, nunc vix inter Lati ne loquentes reciperetur.* B V L. *quid commemorem duos fratres Ferdinandos?* N. Non *feram.* B. *quid si* Guidonem Iuuenalem? NOS. *Multo minus.* B V L. *quid si Iodocum* Badium? NOS. *Istum citius admise rim in hoc laudis certamen, quàm* Apuleium, *nec infeli citer omnino cessit conatus* Badio *adest illi facilitas non indocta, felicius tamẽ cessurus, nisi curę domesticę, reiq; parandę studium interrupissent ocium illud Musis ami cum; huius laudis candidato necessarium.* B V L E. *Fortassis huius honorem tituli tribues* Galliarum *deco ri* Guilhelmo *Budeo.* N OS. *qui tribuam quod ille nec ambit, nec agnosceret si tribuero? quanquam is alioqui eximij varijsq; dotibus suspiciendus est.* B V L. Iacobus *Faber habetur celebratissimus.* N O S O. *Vir pius & doctus, sed qui* Theologice *dicere maluerit, quàm* Tul liane. B V L. Ioannem *Pinum fortassis agnosces.* N. *Posset inter huius laudis competitores numerari, nisi et hunc negociorum tumultus & ecclesiastica dignitas à studijs auulsissent. Olim certe præclarum sui speci men dedit, quum* Bononiæ *Musarum sacra coleret,*

Nunc episcopum audio factum, quid accesserit eloquentię nescio. Fieri potest vt plus accesserit eruditionis quã dignitatis. B. Agnoscis Nicolaum Beraldum. N. Agnosco dictionis illaborabo fluxu Pino non dissimilem, verum is in hoc genus nunquam neruos intendit suos, dicendo quàm scripto felicior. Quid possit satis diuino, sed est magni laboris fugitantior. B. Franciscum Deloinum non vererer obijcere, si se talem prestare potuisset in oratione libro'ue, qualem se prestitit in epistolis ex tempore scriptis ad amicos. quod sanè prodigij simile videri possit in homine qui seculo non admodum felici, totam penè ætatem in Accursijs, Bartholis ac Baldis contriuisset. In literis politioribus & senex & feliciter repubuerat. Hunc nuper mors terris eripuit, ipsi quidem matura, senex enim mortuus est, studijs vero quibus euehendis ornandisq; vir optimus natus videbatur præpropera. Superest Lazarus Baysius, qui vnico libello de vestibus eo' que non magno magnam laudem meruit, summamq; spem de se prębuit, si quo cœpit cursu pregat, in literarum studio. quanquam ad docendum appositus, argutus esse mauult, vt videtur, & Atticus quàm Ciceronianus. B. Succurrit etiamnum par vnum nequaquam, vt arbitror, fastidiendum. Nosti Claudium Cantiunculam Metensem, & Cornelium Scepperum. N. Vterq; mihi & è conuictu notus est. Cantiuncula vt est ingenio festiuo, in quouis argumento, tractando suauissime canit; presertim oratione prosa, quantum valeat carmine nescio, nec infeliciter properat ad exemplar Ciceronis. Fluxum, perspicuitatem, copiam ac iucunditatem M. Tullij propemodum assequutus est, sed iam pridem in

principum legationibus fabulam agit motoriam, quum hoc negocium altissimam quietem desideret, & tamen ita quotidie seipsum vincit, quasi per terras mariaq; volitans, Musas omnes secũ ducat comites. Habet hoc eximium, *quod iuris prudentiam, ac philosophię cognitionem eloquẽtię conciliauit. Scepperus pręter quàm quod in omni disciplinarum genere versatus est, pari facultate & solutum orationem texit & carmen, quanquam & hic iam diu fabulam agit motoriam.* B V L E. *De* Ruello *quid sentis?* N O S O. *Quod peritissimo rei medicę dignum est, in vertendis Gręcis religiosæ fidei.* Hoc *laudis maluit, quàm haberi* Tullianus. B V L. *Sed vbi mihi ponendus est* Petrus *Mosellanus* Treuir *inter* Germanos *an inter* Gallos? N O S. Nihil *refert, ad id sanè quod nunc agitur.* B V L E. Agnoscis *Ciceronianum?* N O S. Admiror *parem vtriusq; linguæ peritiam, ingenium candidum, minimeq; sordidum, industriam indefatigabilem, dictionem viuidam, floridam, ac dilucida.* Nihil *ab eo non erat expectandum nisi iuuenem non ita pridem huius laudis agonem ingressum pręproperа mors, graui doctorũ omnium mœrore, nec leui studiorũ dispendio, sustulisset è medio.* B. E *Gallis igitur si videtur iter flectamus in* Angliam, *non infelicem ingeniorũ altricem.* Sed *Germanum Brixium pene pręterieram.* Non *ignoras virum pari dexteritate in vtraq; lingua, siue carmen pãgere velit, siue prosam orationem condere, nec minus felicem gręcis in linguã latinam transferendis.* An *ne hunc quidem recipies inter* Tullianos? N O. Ille *quidem adhuc in cursu est, copiam & lucem assequutus est, in nonnullis tamen* M.

Tullio dissimilis, sed ita vt bonam de se spem prębeat, si vt facit, totū se huic studio dediderit. Interim lubet gnauiter currenti applaudere. BV. Nunc igitur in Britanniam, quæ quum multos habet Tullianę dictionis candidatos, tantum eos nominabo qui scriptis innotescere voluerunt. Si Guilhelmum Grocinum prœferam, respondebis nihil illius extare pręter vnicam epistolam, elaboratam sanè & argutam ac bene latinam, Maluit enim nihil scribere, quàm nihil videre, homo natura luscicsus. Ad epistolarem argutiam appositus, Laconismum amabat, & sermonis proprietatem, diceres Atticum in hoc sanè genere, nec aliud affectauit, Ciceronis copiam ferre non potuit, si quandoq legeret illius libros. Nec scripta solum, sed & dicendo laconisabat. De hoc igitur non contendam. Sed Thomam Linacrum non verebor proponere. NOS. Noui virum undiquaq; doctissimum, sed sic affectum erga Ciceronem, vt etiam si potuisset utrumlibet, prius habuisset esse Quintiliano similis quàm Cicęroni, non ita multo in hunc ęquior, quàm est gręcorum vulgus. Vrbanitatem nusquam affectat, ab affectibus abstinet religiosum quàm vllus Atticus, breuiloquentiā & elegantiam amat, ad docendum intentus. Aristotelem & Quintilianum studuit exprimere. Huic igitur viro per me quantum voles laudum tribuas licebit, Tullianus dici non potest, qui studuerit Tullio esse dissimilis. BVL. Restat Ricardus Paceus. N. Is quidem inter Tullianæ facundiæ candidatos censeri poterat, nisi neminem illi placuisset ex temporalis illa scribendi celeritas, & nisi mox iuuenem è medio studiorum cursu Pontificum ac Regum negocia, prophanis curis pro-

pemodum obruissent. B V L. Ab Anglia migrabo, si tibi Thomam Morum produxero. N. Fateor ingenium felicissime natum, & quod nihil non potuisset efficere, si totum his studijs vacare licuisset. Cæterum illo puero vix tenuis odor literaturæ melioris demigrarat in Angliam. Deinde parentum autoritas ad leges eius gentis discendas, quibus nihil illiteratiuis, adegit, mox in causis agendis exercitatus, hinc ad reipu. munia vocatus, vix successiuis horis respicere potuit ad eloquentiæ studia. Tandem in regiam pertractus, & regni regiorumq; negociorum undis immersus, magis amare potest studia, quàm colere. Et tamen dicendi genus quod assequutus est magis vergit ad Isocraticam structuram ac dialecticam subtilitatem, quàm ad fusum illud Ciceronianę dictionis flumen, quanquam vrbanitate nihilo M. Tullio inferior est. Quoniam autem adolescens diu versatus est in poematibus scribendis, poetam agnoscas & in oratione prosa. B V L. Angliam igitur relinquamus, neq; enim nominabo Guilhelmum Latamerum, aut Reginaldum Polum, quorum prior vir pius Theologiam absoluere maluit quàm Ciceronianam eloquentiam, alter Ciceronis admirator summus, & æmulator nõ infelix, nihil adhuc suo nomine voluit in lucem prodire. quanquam in epistolis familiaribus satis declarat quid valeat, sed nõ traducam ea, quibus ipse lucem nondum tribuit. Alioqui habet innumeros ea insula, summa spei iuuenes, sed interim censorem agimus non diuinum. Quid autem mirum illic efflorescere iuuentutem, vbi rex ipse non solum præmijs excitat bene nata ingenia, verum etiam exemplo suo quamlibet

pigris subdit calcaria, duobus iam libellis testatus, quan tum & faueat pietati, & ingenio facundiaq; polleat. N. Ego sanè libellos istos maiorem in modum admiratus sum, non abhorrentes à dictione Tulliana, nisi quod argumentum et regia dignitas suum quoddam eloquendi genus desiderare videtur. BVL. quid superest igitur nisi vt hinc nauigemus in Hollandiam? NOS. Prius in Scotiam censeo. BVL. Non grauarer, si quem illic nossem quem te laturum existimem. In Daniam malo, quę nobis dedit Saxonum grammaticum, qui suę gentis historiam splendide magnificeq; contexuit. N. Probo viuidum et ardens ingenium, orationem nusquam remissam aut dormitantem, tum miram verborum copiam, sententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem, vt satis admirari non queam, unde illa ętate homini Dano tanta vis eloquendi suppetierit, sed vix illa in illo Ciceronis lineaměta reperias. BVL. Igitur in Hollandiam. N O S. Imò prius in Zelandiã, ne quem prętereas. B V L. Alit & illa regio quędam dextra ingenia, sed pleraq; luxu obruuntur. Hinc sanè tibi profero Adrianum Barlandum, in cuius scriptis agnoscas candorem ac facilitatem Tullianæ dictionis. NO. Accedit hac sanè parte, sed totum Ciceronem non exprimit. B. E Zelandia facilis cursus est in Hollandiam haud infoecundam bonorum ingeniorum parentem, sed illic nec honos habetur eloquentię, & voluptates non temere sinunt indolem maturescere. Hinc tibi proferã Erasmum Roterodamum, si pateris. N O S O. Professus es te de scriptoribus dicturum. Istum vero ne inter scriptores quidem pono, tantum abest vt Ciceronianus annumerem.

merem. B. quid ego audio? At qui videbatur & inter πολυγράφους censeri posse. NOS. Potest, si πολυγράφος est, qui multum chartarum oblinit atramento. Alia res est scribere quod de nos agimus, & aliud scriptorum genus. Alioqui qui manu describendis libris quæstum faciunt, scriptores dicentur, quum hos eruditi malint librarios dicere. At hoc est nobis scribere, quod agro fructum producere, hoc nobis lectio, quod agro stercoratio; hoc nobis concoctio & emendatio, quod in agris occatio, pastinatio, putatio, Zizaniorum euulsio, ac reliquæ operæ, sine quibus aut non emergit sementis, aut non adolescit exorta. BVL. Quid igitur ille? NOS. Abijcit ac præcipitat omnia, nec parit, sed abortit, interdum iustum volumen scribit stans pede in vno, nec unquam potest imperare animo suo, vt vel semel relegat quod scripsit, nec aliud quàm scribit, quum post diutinam lectionem demum ad calamum sit veniendum, idq; raro. Quid quod ne affectat quidem Tulliano more dicere, non abstinens à vocibus Theologicis, interim ne à sordidis quidem? BVL. Tersior erat Guilhelmus Gaudanus. NO. Atticus erat in epistolis, in carmine bonus, sed ò scelerate luxus, quantum felicium ingeniorum, vel corrumpis vel abrumpis? B. Nosti Aegidium Delphum? NOS. Virum eruditionis variæ, versificatorem non malum, si facilitati neruos addidisset. BVL. Nuper decessit Martinus Dorpius. NOS. Ingenium felix & ad quid vis versatile, nec infestiuum, sed alienis iudicijs quàm suo duci maluit. Tandem Theologiæ studium retraxit hominem à Musis. BVL. Quis tibi videtur Iacobus Ceratinus? NOSO. Præclaram de se spem dedit, à Cice-

roniano multum abest. B. Hinc igitur si videtur in Phrysiam commigeremus. Alit enim ea regio prorsus alba, quod dici solet, ingenia, sed male conuenit Como cum Musis. Langios igitur & Canterios omittam, Rodolphus Agricola sufficit vnus pro multis. N. Agnosco virum diuini pectoris, eruditionis reconditę, stylo minime vulgari, solidum, neruosum, elaboratum, compositum, sed qui nonnihil resipiat & Quintilianum in eloquendo, & Isocratem in orationis structura, vtroq; tamen sublimior, Quintiliano etiam fusior ac dilucidior. Quod voluit pręstitit, nec dubito quin Ciceronis figuram potuisset effingere, si huc vertisset animi studium. Et huic tamen ad Summam laudem quum alia quędam obstitere, tum pręcipue regionis ac temporum infœlicitas, quibus vix quicquam honoris habebatur literis politioribus, & nationis par frugalis vita. In Italia summus esse poterat, nisi Germaniam pretulisset. B. Superest Hayo Hermanus gentis eiusdem. N. Agnosco iuuenem diuinę cuiusdam indolis, cuius tamen nullum extat in literis specimen, pręterquam in epistolis aliquot, quibus nihil purius, sanius, aut suauius. Is fortasse palmam hanc tulerit, si naturę fœlicissimę, par accesserit industria. B. Haud transeundam censeo Vuesphaliam, quę nobis dedit Alexandrum Hegium. N. Virum eruditum, sanctum ac facundum nominas, sed qui glorię contemptu nihil magni molitus sit. B. Dedit & Hermannum Buscium. N. In carmine pangendo felicem, in oratione soluta magna vis adest ingenij, lectio varia, iudicium acre, neruorum satis, sed compositio Quintiliano propior quàm Ciceroni. B. Conradum Coclenium, opinor, non nosti. N.

Num illum dicis qui apud Brabantos iampridem ornat nō modo collegium Busledianum, quod quidam trilingue vocant, sed totum etiam illam Academiam, licet alioqui florentissimam? BVL. Istum ipsum. N. Mihi quem καὶ οἴκοθεν notus est. BVL. Nunquid in illo desideras, quo minus habeatur inter Ciceronianos? N. Opinor illud ingenium posse, quicquid serio voluerit, verū mavult obesulus esse, quàm polygraphus. H. Vnum in illo novi, quo Ciceroni multum est dissimilis. B. quidnam? HYP. Ciceronem accipimus prælongo & exili fuisse collo. Codenius & pulchre obeso, & adeo non longo, vt mentum pectori penè contiguum sit. Non hic de collo, sed de stylo disputamus. Cęterum à Vuesphalia recedamus. Habet Saxonia iuuenes summę spei nihil mediocre de se pollicentes, quorum est & Christophorus Carlebitzius, imaginibus maiorum ornatissimus, sed literis ac moribus compositissimis ornatior, verum horum commemoratione te non fatigabo, quorum indoles adhuc subolescit, & vt ita loquar, in herba est. Perga ad reliquos Germanos. Quorum princeps fuit Capnion. NOSOPO. Vir magnus, sed oratio re dolebat suum seculum adhuc horridius impolitiusq́;. Qualis & Iacobus Vuimphelingus & si quis sunt huius similes quorum opera tamen non parum vtilitatis accessit Germaniæ studijs. Quanquam hic in nepote suo quodam modo repubuit Iacobo Spiegellio. BVLEPHO. Capnionis ergo discipulum agnoscis Philippum Melanchthonem. NOSOPONVS. Nihil hoc ingenio felicius, si totum vacasset Musis. Nunc hanc laudem leuiter affectauit, ac naturæ felicitatę

contentus, nec artis, nec curę permultum ad scribendum adhibuit, & haud scio an affectantem nerui fuerint defecturi. Ex temporali dictioni natus videtur, nunc alijs intentus eloquentiæ studium magna ex parte videtur abiecisse. BVL. En igitur tibi Vlricum Huttenum. N. Sat splendoris & copiæ præstat in oratione soluta, in carmine felicior erat, cæterum à Ciceronis imagine procul aberat. BVL. Bilibaldum prius cõmemorasse oportuit, quo duce primum efflorescere cœpit apud Germanos eloquentia, quàm & morum pietate & fortunæ splendore illustrauit. NOS. An ille sequatur nescio, certe non assequitur, nec tam obstat ingenium quàm reipu. negocia, parumq; prospera valetudo, quum non alius sit prosperrima dignior. Tamen ex tempore scribens adeo feliciter, abunde declarat, quantum præstare valeret, si neruos intenderet suos. BVL. Vlrico Zasio plurimum laudis tribuit uniuersa Germania. NOS. Minus tamen quã vir ille pro meritus est, præter exactum iuris, quod profitetur, scientiam, felicissima quædam adest vel ex tempore scribendi, dicendiq; facultas, diceres orationem bonis electisq; verbis simul ac sententijs, ex vberrimo quodam manare fonte, adeo nec resistit vsquam, nec hæret, nec intersilescit, tum adest etiã in scriptis alacritas iuuenilis, & vt ita dicam, vita, negares, senis esse quod legis, attamen Politianum propius exprimit quàm Ciceronem. BVL. Age, sed ex proximo tibi profero Brunonem Amerbachium Rauracum, quo viro nihil unquam natura finxit candidius. NOS. quatenus licet ex gustu cognoscere magnus erat futurus, ni festinata mors iuuenem studijs eripuisset. BVL. Henri

eum Glarianum agnoscis Eluetium? NOS. *Is maluit in philosophia ac Mathematicis disciplinis consenescere, quàm æmulari phrasim Ciceronianam, cui vix conuenit cum subtilitatibus Mathematicorum.* BVL. *Vnus superest, quem si non recipis, migrabimus in Pannoniã.* NOS. *quis?* BVL. *Vrsinus vellus.* NOS. *In carmine felix, nec infelix in oratione soluta, spirituum & vrbanitatis habet affatim, vbi prodierit historia quàm de rebus à Pannoniæ, Boœmiæq; rege Ferdinando gestis texere dicitur, certius pronuntiabimus.* BVL. *Mihi certa spes est illum & principis sui claritati, & rerum magnitudini facundiæ viribus respósurum.* Huius *commemoratio nos deduxit in Pannoniam, nam illic nunc agit, vbi neminem noui prçter Iacobum Pisonem studiosum eloquentiç Tullianç candidatum, sed primum aula, deinde calamitas, nuper etiam mors hominem nobis abripuit.* N. *Audiui & dolui.* B. *Habet & Sarmatia quos non possis contemnere, sed non commemorabo, nisi qui libellis in lucem datis, sui specimen dederunt.* Horum *princeps est* Andreas *Critius, Episcopus Plocensis, qui prorsus ingenium habet, vt ait ille, in numerato, carmina pangit feliciter, felicior etiam in oratione soluta, prçsto est ex tempore scribenti docta facilitas, sermo perpetua quadam orationis festiuitate iucundus.* N. *Paucula quçdam illius degustaui, quç mihi sanè spem egregiam prçbent, nisi legationibus, tum regni simul et ecclesiæ negocijs cogatur à Musarum ocio recedere.* BVLE. *Iam Hispania quç non ita pridem cœpit ad pristinam ingeniorum gloriam reflorescere, doctos & eloquentes viros permultos, qui scriptis innotuerunt non*

ita multos habet, in his Antonium Nebrißensem, *virum eruditionis variæ, sed cuius mentionem laturus non sis in* Catalogo Tullianorum.NOS.*Rem diuinasti.* B V L E. *Ne Lopidem quidem, opinor aut Sanctium.*NOS.Hic Theologus *est, nec affectauit hãc laudem, ille multo infelicior est in laudando, quàm in reprehendendo, nec hic, nec ille* Ciceronianus.B V L.*Demirabor, si* Ioannem Ludouicum Viuem *ab hoc honore submouebis*.N.*Equidem nec ingenium nec eruditionem, nec memoriam in illo desidero, adest illi parata sententiarum ac verbo℞ copia, quumq́; fuerit initio duriusculus, indies magis ac magis in illo maturescit eloquentia, quem si nec vita, nec studium destituerit, bona spes est fore, vt inter Ciceronianos numeretur. Sunt enim quibus scribẽdi conatus, iuxta* Mandrabuli *mortem, vt habet prouerbium succedat* Hic quotidievincit seipsum.*Et habet ingenium ad quiduis versatile, eoq́; ad declamandi facultatem nunc compositus*, Aliquot *tamen* M.Tul*lij virtutes nondum absoluit, pręcipue iucunditatem dictionis ac mollitudinẽ*.B V L.*Et Lusitanos aliquot eruditos noui, qui vulgarint ingenij sui specimen, neminẽ noui pręter* Hermicum *quendam in epigrãmatibus felicem, in oratione soluta promptum ac facilem, ad argutandum dexterrimę dicacitatis, & Genesium, qui nuper ędito* Romę *libello, pręclaram de se spem prębuit. Vide quot regiones peragrauerimus* Nosopone, *dum vnum quęrimus* Ciceronianum, *nec quisq̃ adhuc repertus est, quem digneris huius cognominis honore, cuius amor te macerat. quot priscos commemorauimus, quot seculo℞ posteriorum, quot nostrę memorię, quot nostrę*

ętatis recensuimus, in quibus vt sint nonnulli quos fastidiosus censor possit contemnere, quàm multi sunt qui suum quisque seculum, suam patriam, qui ecclesiam, qui rem literariam doctrina facundiaq́; sua ornarunt, illustrarunt, nobilitarunt, nec vllum tamen adhuc inuenimus Ciceronianum. Quid reliquum *est, nisi vt proficiscamur in insulas fortunatorum, inde petituri, quem donemus hoc nomine?* Moderatius *perpetimur mala nobis cum plerisque communia non mœret* Hispanus, *si non habet flauam cęsariem, non* Indus *quod colore sit* lurido, *non* Aethiops *quod atro, quod simis naribus, & tu discrucias animum tuum, nec concoquere potes conuicium, quod non es* Ciceronianus? Hoc an malum sit nescio, *sed si esset malum, non tu ęquo animo ferres incommodum tibi cum tot talibusq́; viris commune?* N O S. Atqui hoc laudis assequutus est *Christophorus* Longolius, *homo Brabantus, tum apud* Gallos *educatus*. Huic vni Cisalpi*norum palmam hanc tribuunt* Itali, *cęteros omnes* vt *barbaros submouent.* BV L E P H O. Plurimum *sanè laudis tulit* Longolius, *sed nimio emptum*. Diu *tortus est, tandem & immortuus est certamini nondum peracto, non leui profectò studiorum iactura, quibus magno vsui futurus erat, nisi totum animum omnesq́; ingenij vires ad inanis tituli studium contulisset. Quanquam ille non vni* Tullio *assidebat, sed per omne autorum genus sese voluerat, disciplinas* liberales *omnes diligenter edidicerat, vltra iuris peritiam, nec erat contentus exprimere lineamenta Ciceronis, sed in inuentione rerum peracutus fuisse videtur et copiosus, in tra-*

ctandis argumentis dexter ac felix, nusquam non prae-bens admirandę cuiusdam indolis specimen. Nihil est *igitur quod isti Ciceronis simij nobis* Longolium *obij-ciant, alijs dotibus ille magnus erat, etiamsi Ciceronia-nus non fuisset, & hæc ipsa vanissimi tituli ambitio fru-ctum propemodum studiorum illius corrupit, vitam ab-rupit. Quanquam multum etiam abfuit à Cicerone, cui materia defuit exercendę mirabilis illius eloquentię, q̃ in serijs grauibusq; causis Cicero prę̨stitit. Lógolius ędi-dit epistolas, sanę q̃ elegantes ac feliciter elaboratas; fa-teor, sed multas argumento perquàm humili, plures af-fectato, quod genus videntur aliquot epistolę Plinij iu-nioris. Atqui tales non arbitror in epistolarum numero ponendas. quid enim habent epistolę Senecę, quod epi-stolę congruat, pręter titulum? At in Ciceronis episto-lis nihil est accersitum. aut de grauibus serijsq; negocijs, scribit ea quę coràm exponeret si licuisset, aut cum ami-cis absentibus de familiaribus colloquitur rebus, aut de studijs confabulatur, quemadmodum solent amici prae-sentes inter se miscere sermonem. Quid quod Cicero non ędidit epistolas suas, & quasdam videtur scripsisse ne-glectius quàm loqui solitus erat. Vnde bona pars earũ quas Tiro Ciceronis libertus collegerat, interadit, haud opinor peritura, si docti eas iudicassent immortalitate dignas. Primum igitur illa simplicitas & gratia sermo-nis inaffectati, deinde veritas abest in epistolis Longo-lij plerisq;. Ad hęc quoniam nec eadem fuit fortuna Ló-golij quę Ciceronis, nec eadem negocia, fit vt interdum inepta sit ac frigeat imitatio. quod genus sit, M. Tullius senator & vir consularis, scribit ad suę dignitatis homi-*

nes, quid moliantur duces in prouincijs, quàm instructę sint legiones, ostendit periculum; diuinat rerum exitum; quum ad imitationem Ciceronis similia scribit ad eruditos amicos & in ocio viuentes, Longolius, *veluti solicitus de summa rerum, non ne friget affectatio?* Quid *quod ipse in Musęum abditus interdum literis mandat vanissimos rumores, quales vulgo circumuolitant, indigni qui vel sermone cordati hominis commemorentur.* Sed *in orationibus, inquies, quas duas reliquit, velut in capitolio habitas Ciceronem pręstitit.* Eas *ego sanè magna cum animi tum admiratione, tum voluptate legi, fateor.* Effecerunt *enim* vt de *illius ingenio longe quàm ante magnificentius sentirem.* Adeo, quum de illo pręclarum *concepissem existimationem, vicit multis partibus expectationem meam.* Videtur *enim in has depromsisse quicquid* vel *suo potuit ingenio; vel è Ciceronis orationibus hauserat.* Eę *tamen tot annis elaboratæ, toties sub incudem reuocatæ; toties Criticorum censuram perpessæ, quantulum habent Ciceronis? non quidem longolij culpa, sed temporum.* Aptissime *dicebat* Cicero, *vix apte* Longolius, *quandoquidem* Romæ, *nec patres conscripti sunt* hodie, *nec senatus, nec populi autoritas, nec tribuum, suffragia nec magistratus qui solent esse, nec* leges, *nec comitia, nec actionum forma, nec prouincię, nec municipia, socij, ciues, postremo* Roma Roma *non est nihil habens pręter ruinas ruderáque priscę calamitatis cicatrices ac vestigia.* Tolle *pontificem* Cardinales, Episcopos, Curiam & *huius officiarios, deinde legatos principum, Ecclesiarum, collegiorum, & Abbatiarum, tum colluuiem hominum partim qui vi-

uunt ex hisce nundinis, partim qui vel libertatis amore, vel fortunam aucupantes eò confluunt, quid erit Roma? Dicet aliquis, Pontificum regnum à Christo traditum augustius esse, quàm fuerat olim senatus populiq; Romani, aut etiam si libet Octauij Cæsaris. Mea nihil refert, modo fatearis diuersum regni genus esse. Quo fit, vt nec oratio congruat eadem, si putamus Ciceronianum esse, sermonem ad rem præsentem accommodare. At ille preclarus iuuenis orationem attemperauit ad hominum affectus, qui veterem Romam, rerum dominam gentem'q; togatam, adhuc somniant, quemadmodum Iudæi nondum desinunt suum Mosen ac templum Hierosolymitanum somniare. Iam Christophorus iuuenis nec magistratu, nec rebus gestis, nec vllo alio nomine magnus erat quàm ingenio, quod ego sanè pulchrius esse duco, quàm si regno polluisset. Sed hæc persona nihil ad Ciceronem. Nunc argumentum accipe. Inciderat illi contentio cum Italo quodam adolescente, in hoc opinor subornato, vt Ciceronianam eloquentiam à barbaris vindicaret. Et est, vt audio, nunc Romæ sodalitas quædam eorum, qui plus habent literaturæ quàm pietatis, docti vocantur, & apud multos habentur in precio. Per hos ociosos hoc certamen, studijs hinc atq; hinc efferuescentibus accensum est, vt ea ciuitas undiquaq; captat voluptatis materiam. Interim longolij causam grauabat Luteri causa, cuius gratia apud Romanos male audiebat quicquid erat affine Germaniæ, ne dicam Cisalpini omnes. Itaque Christophoro tametsi natione barbaro, nam huiusmodi vocabulis adhuc vtuntur illi, quasi facies rerum non tota sit im-

mutata, tamen ob admirandam sermonis elegantiam, visum est candidioribus aliquot, honoris gratia decernere ciuis Romani titulum. Fiebat hoc olim, & erat munus non minus vtile quàm honorificum. Nunc autem quid est esse ciuem Romanum? Profecto minus aliquanto quàm esse ciuem Basiliensem, sic contemptis verborum fumis, rem æstimare libeat. Atque hinc in barbarum Longolium competitoris ipsiúsque fauentium inuidia. Tandem quæsita est illa voluptas ociosis, vt in Capitolio (sic enim vocant curiam quandam non admodum magnificam, in qua solent agi per pueros exercitandi ingenij gratia fabulæ) causam diceret Longolius. Subornatus adolescens audaculus, qui accusationem quàm ab alio compositam edidicerat recitaret. Accusationis hæc erant capita, primum quod Christophorus Longolius olim puer, dum ingenij periclitandi gratia laudat Galliam in qua tum viuebat, in nonnullis ausus sit eam æquare Italiæ, deinde quod in ea laudasset tribus verbis Erasmum & Budæum barbarus barbaros, præterea quod diceretur ab his subornatus ac delegatus in Italiam, vt optimos quosque libros deportaret ad Barbaros, quo possent cum Italis de principatu eruditionis contendere. Postremo quod homo barbarus & obscuræ familiæ, minime dignus videretur honore tanti cognominis, vt ciuis Romanus appelleretur. Habes preclarum argumentum, in quo neruos intendas eloquentiæ Tullianæ. Atqui hoc planè ludicrum ille plusquam serio agit, mirifico sanè verborum apparatu, magna ingenij significatione, summa vehementia, multa interdum vrbanitate, non aliter alludens

ad ętatem Ciceronis, quàm is qui scripsit Batrachomyomachiam, allusit ad Homericam Iliadem, ranis ac muribus, rebusq; ridiculis ac friuolis, deorum, dearum, heroum splendida verba factaq; accommodans, Ita Longolius exaggerat capitis discrimen, armatas cohortes, gladiatorum manum, quorum violentia autoritas amplissimi ordinis, ac secundum leges agendi libertas fuerit impedita. Fingit priscam illam Romam orbis reginam, & huius præsidem ac tutorem Romul''m cum suis Quiritibus, somniat. P.C. & augustissimum ordinem regnorũ dominum, populum in suos ordines ac tribus distinctum prętorum ius, tribunorum intercessionem, somniat prouincias, colonias, municipia & socios vrbis septicollis, recitatur senatus consultum, citantur leges, miror non meminisse clepsydrarum, quę reo solent infundi nouem opinor. Hic excitantur illa πάθη, appellantur veteres illi Romanę ciuitatis principes, eq; monumentis excitantur, quid non? Per quàm faceta res est. Equidem fateor hunc ludum videri posse non inelegantem, si ad eum modum exerceretur iuuentus in scholis declamatorijs, etiamsi non frustra pręcepit Quintilianus, vt declamationis simulachrum quàm proxime accedat ad veras actiones, nimirum quod quidam declamandi themata petere soleant è poetarum fabulis, nec veris, nec verisimilibus. Nam habent in adolescentibus et illa progymnasmata fructum haudquaquã pœnitendum, quũ argumento ex historia sumpto, verba sententięq; ad illorum temporum conditionem accommodantur, sed tamen instructior erit ad veras causas agendas, qui quęstionem tractat, præsentis temporis inuolutam circum-

stantijs, veluti si quis tractet, num expediat Reipub. *vt principes filias aut sorores suas in procul semotas regiones elocent, an sit in rem* Christianæ *pietatis, proceres* Ecclesiasticos *onerari ditione prophana, vtrum consultius sit iuuenem euoluendi autoribus, an peragrandis longinquis regionibus, periclitandisq; rebus, multarum rerum cognitionem colligere, num expediat puerum imperio destinatum, aut natum, multum temporis in literis ac liberalibus disciplinis consumere.* Cæterum *argumentum quod tractat* Longolius, *quum nec sit ex historia petitum, vt saltem per fictionem suo tempori congruere possit, nec eiusmodi tamen, vt vere suo tempori suisq; personis conueniat, qui fieri potuit vt hic totum exprimeret Ciceronem, qui depulsis armis* Antonij, *sublatoq; mortis metu, libere dixit apud senatum populumq;* Romanum? In *hac tamen materia tanto studio, tantoq; ingenij dexteritate rem gessit egregius iuuenis, vt hodie neminem nerim, vel apud* Italos, *cum pace omnium dixerim, quem existimem idem prȩstare posse, tantum abest, vt* Longolij *laudibus aliquid studeam detrahere.* Talibus *enim ingenijs non queam non fauere, etiam si mihi male vellent.* Hæc *eò tantum dicuntur, vt adolescentiæ studijs prospiciam, ne sic superstitiose discrutient affectatione* Ciceronianȩ *similitudinis, sic vt hac intentione ab vtilioribus, magisq; necessarijs studijs auellantur.* Rem habes Nosopone, *orationes supersunt, quæ me coarguant si quid mentior.* Nunc *mihi rationem ineas velim, sit ne operæpretium ingenia felicissime nata in has* ἐπιδείξεις *tantum ætatis & operæ consumere, ne dicam immo-*

ri talibus curis. Quantum vtilitatis vel religioni Christianę, vel studijs, vel patrię laturus erat, si vigilas quas actionibus illis ludicris impendit, in res serias collocasset? NOS. Profecto miseret me Longolij, & vix habeo quod respondeam. BVL. Ad hęc testatur se scripsisse orationes quinq; in laudem vrbis Romę. O pulchre collocatam operam quanto rectius eam collocasset, si ciuitatem illam, atq; eos pręcipue qui bonas literas ibi profitentur orationibus aliquot elaboratis ad Christi cultum ac pietatis amorem inflammare studuisset. Intelligis Nosopone quid dicam, imò potius quid non dicam. At quibus tandem vigiliarum tantum datum est? Senatui? senatus? si quis omnino Romae est, latine nescit. Populo? Barbare loquitur, tantum abest, vt dictione Tulliana capiatur. Sed valeant hęc ἐπιδεικτικά. Aduersus Martinum Lutherum rem agit & seriam & grauem. Vbi qui potuit esse Tullianus de rebus disserens, quas M. Tullius prorsus ignorauit? At oratio non potest esse Tulliana, id est optima, quæ nec tempori, nec personis, nec rebus congruit. Satis quidem Tulliane conuiciatur. Vbi tandem ventum ad errorum capita recensenda, subobscurus est, & vix ab illis intelligitur qui Lutheri dogmata tenent. Atqui hic res summam orationis perspicuitatem desiderabat, si voluisset esse Ciceronianus. Iam ex ipsa rerum propositione non difficile fuerit coniectare qualis futurus fuerit in refellendis dogmatibus aduersarij, suisq; confirmandis. Sedulo quidem vitat voces nostræ religionis, nunquam vsurpans fidei vocabulum, sed in eius locum substitués persuasionem, aliaq; permulta quę prius attigimus, semel tamen atq; iterum

vtitur nomine Christiani, per imprudentiam opinor. Nam ea dictio nusquam extat in libris M. Tullij. quanquam & hic multa felicissime dixit, nec alia re magis peccauit, quàm quod nimis anxie studuit esse Ciceronianus, cui maluit orationem congruere quã causę. N. Attamen istis dictu mirum quàm nunc applaudant Itali quidam. B. Confiteor, laudant illa, sed ista legunt. Batauí oratoris nęnias, quę Colloquia vocantur, quãto plures terunt manibus quàm Longolij scripta, quamlibet elaborata, quamlibet expolita, quamlibet Tulliana, & vt gręce dicã melius, κεκροτημένα. Quid in causa? quid? nisi quod illic res ipsa capit, moraturq; lectorem qualicunq; sermone tractata, ad hęc, quoniam theatrica sunt, & vita carent, dormitat lector stertitq;. Vtilitas cõmendat etiam mediocrem eloquentiam, quę tantum adferunt voluptatem, eadem diu placere nõ possunt, pręsertim ijs qui literas in hoc discunt non solum vt politius dicant, verũ etiam vt rectius viuant. In summa, qui iuuenem illum ad huius laudis ambitum inflammarunt, non optime meriti sunt, vel de ipso, vel de re litteraria. Sed de Longolio fortasse nimis multa. N. Prętercurristi Iacobũ Sadoletum ac Petrum Bembum, prudens opinor. B Nę prudẽs viros eximios, rarãq; horũ temporũ exempla nolui miscere turbæ. Petri Bembi nihil extat quod sciam, pręter aliquot epistolas, in quibus exosculor, non modo dilucidum quoddam, sanum, & vt ita dicam, Atticum dicendi genus, sed probitatem, humanitatem ac singularem ingenij candorem in oratione velut in speculo relucentem, nec alia re vel fortunatiorem, vel ornatiorem iudico Longolium, q̃ talium virorũ amicitia. At Iacobũ

Sadoletus cętera ferè ęqualis Bembo, in commentario quem elegantissimum ędidit in psalmum. L. *non adeo affectat haberi Ciceronianus, vt non personę decorum tueatur, est enim episcopus Carpentoractensis, vt non materię seruiat, ne in epistolis quidem abhorrens à vocibus quibusdam Ecclesiasticis*, Quid igitur? Non dixit Tulliano more? Non dixit, *imò* dixit *potius, qui eo modo dixit, quo probabile est ijsdem de rebus, si viueret, dicturum esse Ciceronem, hoc est, de Christianis Christiane.* Huiusmodi *Ciceronianos ferre possum, qui summo pręditi ingenio disciplinis omnibus absoluti tum iudicio prudentiaq́; singulari, siue vnum* Tullium *in dicendo sibi propos uerunt, siue paucos eximios, siue doctos omnes, non possunt non optime dicere.* NOS. *Multum suffragijs eruditorum tributum est Baptistę Casselio.* B. *Oratio de Lege Agraria, quàm paulo ante mortem ędidit, declarat illum summo nisu Tullianę dictionis affectasse lineamenta, & hactenus propemodum assequutus est quod voluit, lucis habet plurimum, verba nitida, compositionem suauem. Cęterum immane quantum est quod desideratur, si ad Ciceronem conferas.* NOS. *Certe Pontanum uno ore prędicant omnes, huic Ciceronianę dictionis Palmam tribuunt eruditorum centurię.* B V L. *Non sum vel tam ebes, vel tam inuidus, vt non fateor Pontanum multis egregijs ingenij dotibus virum fuisse summum. Ac me quoq; rapit placido quodam orationis lapsus, verborum dulce quiddam resonantium amœno tinnitu demulcet aures, demum splendore quodam perstringit dignitas ac maiestas orationis,* NO. *quid igitur obstat, quo minus illum*

fateare

fateare Ciceronianum? B. Ex meo iudicio nihil illius laudi vel accesserit, vel decesserit. quędam illius degustaui. Tractat materias prophanas, quasiq; locos cõmunes, de fortitudine, de obedientia, de splendore, quę tractata facillime nitescunt, atq; ex se facile suppeditant sententiarum copiam, easq; sic tractat, vt ęgre possis agnoscere Christianus fuerit nec ne. Similiter temperat stylum in libello de principe. Pręterea nõ memini me quicquam illius legisse pręter aliquod Dialogos ad Lucianum effictos. At ego non agnoscam Tullianum, nisi qui res nostras Ciceroniana tractet felicitate. In epigrammatibus plus tulisset laudis, si vitasset obscœnitatem, quod nec in Dialogis satis cauet In Meteoris & Vrania, quę sumit materiam quæ facile splendescit, & rem sanè felicem feliciter tractauit, nec illic requiro Christianam dictionem. In cæteris interdum desidero decorum & aptum, & aculeos quos Marcus Tullius in animo relinquit etiam posito codice. Certè ad istam legem quam tu nobis præscripseras, Ciceronianus non erit, in cuius scriptis sexcentas voces possem ostendere, quę nusquam sunt apud Ciceronem. Postremo vides, quàm infrequẽs sit in manibus Pontanus, vir, extra controuersiam in literis inter præcipuos numerandus. NOS. Pontano successit Actius Syncerus, qui partum Virginis matris mire felici carmine descripsit, cui supra modum applausum est à Romano theatro. BVLE. Testantur hoc abunde Leonis & Clementis Breuia, sic enim hodie vocant, tum Aegidij Card. addita præfatio, ne cæteros commemorem, nec sine causa tantopere placuit. Mihi certe magna cum animi voluptate perlectum est opus vtrumq;.

Nam & Eclogas scripsit piscatorias. quis autem talem indolem in iuuene Patricio non exosculetur? Hoc nomine præferendus est Pontano, quod rem sacram tractare non piguit, quod nec dormitanter eam, nec inamœne tractauit, sed meo quidem suffragio plus laudis erat laturus, si materiam sacram tractasset aliquanto sacratius; qua quidem in re leuius peccauit Baptista Mantuanus. quanquam & aliàs in huiusmodi argumentis vberior, Nunc quorsum attinebat hic toties inuocare Musas & Phœbum? quid quod Virginem fingit intentam præcipue Sibyllinis versibus, quod non apte Proteum inducit de Christo vaticinantem, quod Nympharũ, Hamadryadum, ac Nereidum plena facit omnia? Quàm dure respõdet Christianis auribus versus ille, qui ni fallor, Virgini matri dicitur. Tuq; adeo spes fida hominum, spes fida deorum. Scio deorum metri gratia positum loco diuorum. Me quidem leuiter offendit in tot virtutibus, quod Synalœphæ frequentes hiulcam reddunt compositionem. Ne multis, si carmen hoc proferas vt specimen adolescentis poeticen meditantis, exosculabor, si vt carmen à viro serio scriptum ad pietatem, longe præferam vnicum hymnum Prudentianum de natali Iesu tribus libellis Accij Synceri, tantum abest vt hoc carmen sufficiat & ad prosternendum funda Goliam ecclesiæ minitantem, & ad placandum cithara Saulem furentem, q̃ laudem illi tribuunt præfationes? Atq; haud scio, vtrum sit magis reprehendendum, si Christianus prophana tractet prophane, Christianum se esse dissimulans, an si materias Christianas tractet paganice. Si quidem Christi mysteria non solum erudite, verum etiam religiose tra-

ctanda sunt. Nec satis est temporaria delectatiuncula delinire lectoris animum, excitandi sunt affectus deo digni. quod fieri non potest, ni penitus cognitum habeas argumentum quod versas, nec enim hic inflammabis, si frigeas ipse, nec ad amorem rerum cœlestiũ accendes lectorem, si tibi talium vel leuis admodum, vel nulla cura est. Hic *si presto sunt, vel vltro, nec accersita, vel non magno constantia dictionis ornamenta, figurarum illecebræ, quibus fastidiosum lectorem allicimus, allectumq́; remoramur, non arbitror reijcienda, modo primas teneant ea quæ præcipua sunt.* Quale *porrò sit, materiam piam ob hoc ipsum putere nobis, quod pie tractata sit?* At *pie tractari qui potest, si nunquam dimoueas oculos à* Virgilijs, *Oratijs, ac Nasonibus?* Nisi *forte quorundam studium approbas, qui fragmentis* Homericorum *aut* Virgilianorum *versuum, undiq; decerptis, & in centonem consarcinatis,* Christi *vitam descripserunt.* Operosum *sanè scribendi genus, sed cui unquam ista lachrymulam extuderunt?* Quem *ad pietatem commouerunt? quam ab impura vita reuocarunt?* Atqui *non ita multum dissimilis est istorum conatus, qui verbis, sententiolis, figuris ac numeris ex* Cicerone *congestis, conuestiunt argumentum Christianum.* Quid *enim laudis fert ille rhapsodus?* Nempe *quod accurate versatus est in* Homero *siue* Virgilio. *Quid fructus adfert hic Ciceronianus?* Applauditur *diligenter in* M. Tullij *scriptis versato, sed tantum ab ijs, qui & ipsi in ijsdem versati, quid unde decerptum sit agnoscunt.* Habet *ea res voluptatem planè quandam, fateor, sed quum apud perpaucos, tum eius gene-*

ris, vt facile vertatur in satietatem, postremo quę nihil aliud sit quàm voluptas. Cęterum illud sine quo Fabius negat esse mirabilem eloquentiam, quod in concitandis affectibus situm est, prorsus abest. Et tamen nobis interim videtur Marones ac Cicerones. Dic mihi Nosopone, si quis argumentum rapti Ganymedis, eleganter construct̃um opere Musáico dissoluat, & ijsdem tessellis aliter concinnatis exprimere conetur, Gabrielem cœleste nuntium adferentem Virgini Nazarenę, non'ne durum parumq; felix opus nascetur, ex optimis quidem tessellis, sed minus argumento congruentibus? N, Poëtis excusás à priscis concessa licentia. B. Audies hic illud Oratianum. At non vt placidis coëant immitia, non vt Serpẽtes auibus geminentur, tigribus agni, Minus, opinor, conuenit Musis, Apollini, reliquisq; dijs poëticis, cum Christianę pietatis mysterijs, quàm serpentibus cum auibus, aut tigribus cum agnis, pręsertim in argumento serio. Alioqui si quid obiter per Iocum aspergatur ex veterum fabulis, ferendum arbitror magis quàm probandum. Oportebat enim omnem Christianorũ orationem resipere Christum, sine quo nec suaue, nec splendidum est quicq̃, nec vtile, nec honestum, nec elegans, nec facundum, nec eruditum. Liceat sanè pręludere ad seria pueris. In veris, in serijs, quodq; grauius est, in pijs materijs quis feret ista paganica progymnasmata? NOS. quod igitur tuum est consilium, vt Ciceronem abijciam è manibus? B. Imò vt semper in sinu sit potius adolescenti eloquentiæ candidato, sed quorundam morositas fastidiumq; prorsus abijciendum est, qui scriptum alioqui doctum & elegans reijcere solent, & indignum lectu iu

dicare, non ob aliud, nisi quod ad Ciceronis imitationem non sit elaboratum. Primum *enim non quibuslibet ingenijs congruit* Tulliana *phrasis*, vt *male cessura sit affectatio, deinde si desunt naturæ* vires, vt *inimitabilem dicendi felicitatem assequaris, quid stultius, quàm in eo discruciari, quod non potest contingere?* Ad *hęc nec materię cuiuis, nec personis omnibus congruit* Tulliana *phrasis, & si congrueret, quædam negligere præstat, quàm nimio parare*. Si M. Tullio *tanti constitisset sua facundia, quanti nobis, aliqua ni fallor ex parte neglexisset orationis ornamenta*. Ni*mio vero paratur, quod tanto ętatis, valetudinis ac vitę etiam dispendio emitur*. Ni*mio paratur, cuius gratia disciplinas cognitu magis necessarias negligimus*. De*niq; nimio paratur, quod pietatis iactura emitur. Si ideo discitur eloquentia, vt delectemus ociosos, quid attinet rem scenicam tot vigilijs perdiscere?* Sin vt *persuadeamus quæ sunt honesta, efficacius dixit* Phocion A*theniensis quàm* De*mosthenes*. S*æpius persuasit* Cato V*ticensis quàm* M. Tullius. I*am si in hoc paratur eloquentia, vt scripta nostra terantur manibus hominum, & si citra studium contingeret Ciceronianæ dictionis similitudo, tamen arte varietas esset affectanda, quæ lectoris nauseanti stomacho mederetur*. Tan*tum vim habet in rebus humanis varietas, vt nec optimis semper expediat uti*. Nec *vsquam non uerum est illud Grecorum prouerbio iactatum,* μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Nec *alio nomine magis commendatur* Homerus *et* O*ratius, quàm quod rerum ac figurarum admirabili varietate non sinunt oboriri tædium lectionis*. Ad *hanc nos natura quodāmodo finxit,*

suam cuiq; tribuens ingenium, vt vix duos reperias, qui eadem vel possint vel ament. Item *quum nihil sit humano stomacho delicatius aut fastidiosius, tum ad eruditionem parandam tantum voluminum nobis sit deuorandum, quis posset in perpetua lectione perdurare, si cunctorum esset idem stylus, ac similis dictio?* Præ*stat igitur vt in epulis, ita & inscriptis esse quædam deteriora, quàm per omnia similia. Qualis autem esset ille conuiuator, qui quum plurimos acciperet inter quos vix duo palati iudicio consentiunt, cibos apponeret omnes eodem more conditos, etiamsi delicias* Apitianas *apponeret?* Nunc *dùm alius alio dicendi genere capitur, fit* vt *nihil non legatur.* Vt *ne repetam, quod ipsa quoq; natura repugnat isti affectationi, quę* voluit orationem es*se speculum animi.* Porrò *quum tanta sit ingeniorum dissimilitudo, quanta* vix *est formarum aut vocum, mendax* erit *speculum nisi natiuam mentis imaginem referat, & hoc ipsum est, quod in primis delectat lectorem, ex oratione, scriptoris affectus, indolem sensum, ingeniumq; cognoscere, nihilo minus quàm si complures annos cum illo consuetudinem egeris.* Et *hinc diuersorum tam diuersa erga librorum scriptores studia, prout quęque genius cognatus aut alienus*, vel *conciliat vel abducit, haud aliter quàm in formis corporum, alia species alium delectat offendit'ue.* Di*cam quid mihi contigerit.* A *dolescens adamabam poëtas omnes.* Verum *simul atq; sum* Oratio *factus familiarior, pre hoc omnes cęteri putere cœperunt, alioqui per se mirabiles.* Quid *existimas in caussa fuisse, nisi geniorum arcanam quandam affinitatem, quę in mutis illis literis agnoscatur?* Hoc *genuinum*

ac natiuum non spirat in oratione nihil nisi Ciceronem exprimentium. quid quod probi viri, quanquam parum felici forma nati sunt, nolint tamen apposita persona formosissimi cuiuspiam mentiri speciem, ac ne pingi quidem alia forma sustineant quàm dedit natura, quod turpe sit mentita facie imponere cuiquam, & ridicula res sit mendax speculum, aut assentatrix imago. Aut turpius mendacium sit, si quum sim Bulephorus, velim haberi Nosoponus, aut alius quilibet. An non igitur ab eruditis merito ridentur improbi quidam, qui viros alioqui doctos & eloquentes ac nominis immortalitate dignos, non alio nomine reijciunt ac velut è bibliothecis submouent, nisi quod seipsos stylo maluerint exprimere, quàm Ciceronem, quum imposturæ genus sit teipsum non exprimere, sed alienæ formæ præstigium oculis hominum obijcere. Et haud scio an si liceat ita permittente deo, multos inuenturi simus, qui totam corporis sui speciem velint cum aliena commutare, multo pauciores arbitror fore, qui mentem & ingenium totum cum alterius ingenio sint permutaturi. Primum quod nemo velit alius esse quàm est, deinde quod suis quisque dotibus sic temperatus est naturæ prouidentia, vt etiam si quid adsit vitij, virtutibus adiunctis paria faciat. Habet animus faciem quandam suam in oratione velut in speculo relucentem, quàm à natiua specie in diuersum refingere, quid aliud est quàm in publicum venire personatum? NOS. Vide ne, quod aiunt, septa tua transiliat oratio, quæ mihi videtur eò prouecta, vt damnet omnem imitationem, quum rhetorica tribus potissimũ constet, præceptis, imitatione, et vsu, nisi forte qui

M. Tullium imitantur, faciem alienam asiumunt, qui cæteros, suos habent. B. Amplector imitationem, sed quę adiuuet naturam, non violet, quę corrigat illius dotes, non obruat, probo imitationem, sed ad exemplum ingenio tuo congruens, aut certe non repugnans, ne videare cum gigantibus θεομαχεῖν. Rursus imitationem probo non vni addictam prescripto, à cuius lineis non ausit discedere, sed ex omnibus autoribus, aut certe prestantissimis quod in quoque precellit maxime, tuoq; congruit ingenio decerpentem, nec statim attexentem orationi quicquid occurrit bellum, sed in ipsum animum velut in stomachum traijcientem, vt transfusum in venas, ex ingenio tuo natum, non aliūde emendicatum esse videatur, ac mentis naturęq; tuæ vigorem & indolem spiret, vt qui legit, non agnoscat emblema Ciceroni detractum, sed foetum è tuo natum cerebro, quemadmodum Palladem aiunt è cerebro Iouis, viuam parentis imaginem referentem, nec oratio tua cento quispiam videatur aut opus Musaicum, sed spirans imago tui pectoris, aut amnis è fonte cordis tui promanans. Sit autem prima precipuaq; cura penitus cognoscendę rei quam tractandam suscipis. Ea tibi suppeditabit orationis copiam suppeditabit affectus veros ac natiuos. Ita demum fiet, vt tua viuat, spiret, agat, moueat & rapiat oratio, teq; totum exprimat. Nec statim adulterinum est, quod accedit ex imitatione. Est aliquis cultus qui nec virum dedecet & naturam formam commendat, veluti lotio, vultus moderatio, sed in primis cura bonę ualetudinis. Iam si tuam faciem uelis ad eius speciem componere, qui tibi dissimillimus est, nihil agas. Cęterū si videris in quopiā

tui non admodum dissimili, effusiore risu immodicaq́; rictus diductione dehonestari formam, aut adductione superciliorum, corrugatione frontis, subductione nasi, reductione labiorum, aut improba oculorum sublatione, alijsq́; similibus minus decentem reddi faciem, potes his vitijs tuam formam reddere meliorem, nec tamen vultum sumes alienum, sed tuum compones. Item vides al*terum parum decere cæsarem impexam, aut æquo promissiorem, tuam licebit corrigere,* R*ursum si conspexeris in alio quantum addat gratiæ, frontis hilaritas modesta, oculorum verecundia, totusq́; vultus habitus ad probitatem compositus, vt nec toruum quicquam aut insolens, nec leue aut incompositum præ se ferat, non erit præstigium, si tuum vultum ad huius imitationem formaris. Siquidem in te situm est, vt & animus vultui respondeat. Quoniam autem varia est formarum gratia, ne statim existimes deterius, quod dissimile est illi, cuius formam miraris.* Nam quemadmodum dixi*mus, fieri potest, vt qui inter se dissimillimi sunt, æquales tamen sint.* Nec *quicquam vetat, quin* Ciceroni *dissimillimus, potior sit eo, qui Ciceronis lineamenta propius exprimit.* Age *ponamus aliquantisper nostros amores, ex iudicio rationis, non ex affectu feramus sententiam, si tibi tua* Pitho *det optionem, vtrum pro* No*sopono* Q*uintilianus esse malis, an is qui de* R*hetoricis scripsit ad* Herennium, *vtrum eliges?* NOSO. *Equidem malim esse* Q*uintilianus.* BVL. *Et tamen alter quanto Ciceroni similior est? Vtrum malles esse Salustius, an Q. Curtius?* NOS. *Malim esse Salustius.* BVL. *At Q. Curtius propius accedit ad Ci-*

ceronem. BVL. Vtrum malis esse Leonardus Aretinus, an Laurentius Valla? NOS. Malim Valla. BVLE. Leonardus tamen Ciceroni vicinior est. Vtrum malles esse Hermolaus Barbarus, an Christophorus Lãdinus? NOS. Barbarus. BVL. At alter ille propinquior est M. Tullio. Vtrũ malles esse Politianus, an Paulus Cortesius? NOS. Politianus. BVL. At alter videri postulat Ciceronianus. Iam vtrum malles esse Tertullianus, heresim excipio an Beda? NOS. Tertullianus. BVL. At Beda plus habet phraseos Ciceronianę. Vtrum malles esse Hieronymus, an Lactantius? NOS. Hieronymus. BVL. At alter quantus est Ciceronis simius? Vides igitur non continuo melius dicere eum qui propius accedit ad Ciceronem, nec peius qui dissimilior est. Deniq; quemadmodũ plures esse possunt Attici, qui tamen inter se dissimillimi sunt, ita nihil vetat, quo minus plures dicantur Ciceroniani, qui dicendi virtutibus pares sunt, quum inter se similes non sint. At quis ferat sciolos quosdam, miro supercilio reijcientes, quicquid non referat lineamenta Tullianæ phraseos, quam verbulis duntaxat, figuris & numeris, expendunt? Frigide sectatur Tullianam phrasim, qui non multorum autorum lectione, multarum disciplinarum scientia, multarum cognitione rerum instructus accedit, ne repetam quod dictum est de vi naturę et prudentia. Feram tamen hanc ineptã gloriolam in adolescente, si rum in doctis, qui hunc neuum multis egregijs dotibus pensant, quis ferat senes qui nihil aliud captant, quàm vt sint Ciceroniani, qui viros ipsis & eruditiores & eloquentiores eradunt ex albo scriptorum, quod ausint à Ciceronis lineamentis ali-

cubi recedere, quum ipsi ferè adeo Ciceroniani nō sint, vt subinde destituantur grammaticę pręsidijs? Non exprimam quorundam nomina, *quibus fortasse in votis sit uelsic inotescere.* De Bartholomeo *Scala dicam, cui* Hermolaus *& Politianus nisi sunt parum Ciceroniani, ipse sibi* Tullianus *est visus, vtcunque dissimulat. At ego malim somnia Politiani, quàm quę Scala sobrius summoq; studio elaborauit. Paulus Cortesius non dissimulat huius affectationis studium, sed deum immortalem, quanto longius illius epistola discrepat ab imagine Ciceronis, quàm Politianica cui respondet. Sed non alia re mihi videtur Ciceroni dissimilior Cortesius, quā quod totus ferè sermone aberrat à scopo. Sic enim agit caussam, quasi Politianus deterreat ab imitatione Ciceronis, tum quasi nolit eum qui scribit, vllum scriptorem sibi imitandum proponere, quum eos taxet, qui nulla lectione bonorum autorum, nulla eruditione, nullo vsu instructi, tantum hoc moliuntur vt Ciceronis exprimant lineamēta, quos ob id simios appellat Ciceronis. Taxat eos qui ex Cicerone verba frustillatim mendicant, qui semper alienis ingrediuntur vestigijs, quum nihil ex se gignant, qui nihil aliud q̄ imitantur, & verbula duntaxat imitantur.* Hos *negat se ferre posse, qui quum nihil minus sint quàm Ciceroniani, tamen Ciceronis titulo se se venditantes, non verentur de summis viris pronuntiare.* Proinde *monet amicum, vt posteaquam Ciceronem primum at non solum, sed cum alijs multis eximijs scriptoribus diutius lectione contriuisset, edidicisset, concoxisset, tum demum si quando pararet aliquid scribere, poneret morosam illam & anxiam solicitudinem*

imitandi tantum Ciceronem, nunquam à lineamentis illius oculos deflectens, quod hæc anxietas efficiat, vt minus hoc ipsum aßequaris quod sequeris. An hoc est deterrere ab imitatione Ciceronis? Num hoc est docere, neminem omnino imitandum eße? An is qui varia lectione instructus, atque, vt ita dicam, saginatus, dum scripturienti, quod in quoque legit optimum, venit in mentem, non imitatur aliquem, etiamsi non illis seruit nec assidet, sed suos affectus ac rem, de qua parat dicere, adhibet in consilium? At Cortesius negat sibi placere simios Ciceronis, Similem, inquiens, volo mi Politiane, nó vt simiam hominis, sed vt filium parentis, eadem loquens quę dixerat Politianus. Id multis verbis prosequutus, tandem velut immemor sui, fatetur se malle eße simium Ciceronis, quàm aliorum filium. Si vox hæc, aliorum, complectitur Salustium, Liuium, Quintilianum, Senecam, quis non malit se eße similem illis, quemadmodum filius similis est patri, quàm sic eße similis M. Tullio, quemadmodum simia similis est homini? Post hæc multa congerit in eos qui sese ingurgitant varia lectione, nec ea quæ legunt concoquunt. Horum orationem existere scabram, inconditam & aspram. Sed quid hæc ad epistolam Politiani? Si sentit cum illo, quur ita respondet quasi dißentiat? Si dißentit, quæ Politianus probat erant refellenda. Nam illud vel maxime Ciceronianum est, dispicere quid sit in controuersia, quid conueniat cum aduersario, & in quo sit causæ status, neque quicquam extra causam dicere. Proinde prolixam epistolam elaborauit Cortesius, magis quàm Ciceronianam, cui velut aliena loquenti, nihil respondit Politianus.

At Politianus qui audiebat non Ciceronianus, quanto melius Ciceronem exprimit, breuiore licet epistola, non tantum sententiarum argutia, verum etiã verbis aptis, elegantibus, ac significantibus? etiamsi me non fugit huius viri meritis famam apud eruditos Italię, malignius respondisse, quam ob rem nescio. Neque vero mihi dicuntur hæc in suggillationem Cortesij, nec enim contumeliosum est postponi vix cuiquam imitabili Politiano, sed vt adolescentibus exemplo commonstretur, quid sit vere Ciceronem exprimere. HYP. Tot ambagibus nos circumagis Bulephore, vt parum absit quin ex Hypologo fiam Hyponosus. Quin tu simpliciter explana, quid de Cicerone quidque de hoc imitando sentias. NOS. Hoc ipsum & ego peruelim, nam eò propemodum tua me perduxit oratio, ut statuerim tuis obtemperare consilijs. BVLE. Nihil arbitror restare, nisi vt quæ sparsim disserta sunt hactenus, in compendium contrahamus. NOSO. quis tibi videtur M. Tullius? BVLE. Dicendi artifex optimus, atque etiam vt inter ethnicos vir bonus, quem arbitror si Christianam philosophiam didicisset, in eorum numero censendum fuisse, qui nunc ob vitam innocenter pieque transactam pro diuis honorantur. Artem et vsum in illo plurimum valuisse fateor sed multo maximam eloquentię suæ partem debuit naturę, quam nemo sibi dare potest. Nec alium è Latinis scriptoribus arbitror magis habendum in sinu pueris & adolescentibus, qui in eloquentię laudem educantur. Poetarum tamen lectionem Latinorum duntaxat volo priorem esse, quod hoc Musę genus magis conuenit ætati teneræ. Nec quenquam ad Ciceronis accura-

tam imitationem vocari volo, nisi prius cognitis artis rhetoricæ præceptis. Post hæc adesse volo commonstratorem artis, veluti solent pictores discipulis in tabula quapiam insigni demonstrare, quid ex arte factum sit, quid contra. Rursus M. Tullium in parte studiorum, præcipuum ac primum esse volo, non solum, nec sequendum tantum puto, sed imitandum potius, atque æmulandum etiam. Etenim qui sequitur, alienis ingreditur vestigijs, & seruit præscriptio. Porrò vere dictum est, eum non posse bene ambulare, qui pedem semper ponit in alieno vestigio, nec unquam bene natare, qui non audet abijcere suber. Imitator autem non tam eadem dicere studet quàm similia, imò ne similia quidem interdum, sed paria magis Aemulator vero contendit etiã melius dicere si possit. Nullus autem fuit unquam tam absolutus artifex, in cuius opere non aliquid deprehendas, quod melius reddi possit. Ad hæc nolim hanc imitationem nimis anxiam ac superstitiosam esse. Nam hocipsum obstat quo minus efficiamus quod volumus. Nec ita censeo M. Tullium adamandum, vt à cæteris omnibus abhorreas, sed optimos quosq; primum legendos, & ex optimis quoque est optimum excerpendum, neque enim est necesse, vt quenquam totum imiteris. Nec illos aspernandos censeo, qui dictionem quidem non multum iuuant, sed tamen rerum copiam suppeditant, velut Aristoteles, Theophrastus, & Plinius. Ad hæc nolim quenquam sic addictum esse Ciceroni imitando, vt à suo recedat genio, & valetudinis vitæq; dispendio consectetur, quod repugnante Minerua non possit assequi, vel nimio constaturum sit, si tam

dem assequatur. Præterea nolim hoc solum agi, nec ita laudem Ciceronianæ dictionis ambiendam arbitror, vt Liberales disciplinas, cum primis necessarias, negligas. Ab istis vero, velut à peste cauendum, qui clamitant esse nefas vti voce, quæ non reperiatur in libris Tullianis. Posteaquam enim ius Latini sermonis desijt esse penes vulgarem consuetudinem, quicquid vocabulorum deprehenditur apud idoneos scriptores, vsurpemus nostro iure, quum opus est, & si durius obsoletumq; videtur, quod à paucis sit vsitatum, nos in lucem proferamus, crebraq; ac tempestiua vsurpatione molliamus. Quæ tandem inuidia sit, quum veteres Græcorum voces mutuo sumpserint, quoties Latinæ vel deerant, vel minus significantes habebantur, nos vbi res postulat à dictionibus, quas apud probatos autores comperimus temperare? Nec minore studio fugiendi videntur & illi, qui reijciendum & omnino lectu indignum vociferari solent, quicquid verbis, formulis & numeris non effictum sit ad Ciceronis imitationem, quum liceat diuersis virtutibus, si non similes, certe pares esse Ciceroni. Absit à nobis hæc fastidiosa morositas, quin potius quod Naso ludens narrat sibi accidisse in puellarum amoribus, id nos serio præstemus in autorum lectione. Ille proceram commendabat puellam, quod heroina videretur, breuis placebat ob commoditatem, primam ætatem flos ipse commendabat, grandiorem rerum vsus, in illiterata delectabat simplicitas, in erudita ingenium, in candida coloris gratiam amabat, in fusca nescio quid latentis gratiæ sibi fingebat. Eodem cādore si nos ex singulis scriptoribus ex-

cerpemus quod habent probandum, nullum fastidiemus sed ex omnibus aliquid delibabimus, quod nostram condiat orationem. Cæterum illud ante omnia prouidendum ne simplex ac rudis ætas Ciceroniani cognominis præstigio decepta, pro Ciceroniana fiat pagana. Videmus enim huiusmodi pestes nondum prorsus extinctas, subinde meditari repullulascentiam, sub hoc fuco veteres hæreses, sub alio Iudaismum, sub alio paganitatem. Sic ante complures annos factiones oriri cœperant apud Italos Platonicorum & peripateticorum. Facessant hæc dissidiorum cognomina, ea potius inculcemus, quæ & in studijs & in religione, & in omni vita concilient a'antq; mutuam beneuolentiam. Proinde de rebus sacris primum ea combibenda est persuasio, quę vere Christiano digna sit. Id si fiat, nihil videbitur ornatius cœlesti philosophia, nihil suauius Iesu Christi nomine, nihil venustius vocabulis, quibus ecclesia luminare arcanas tractarunt. Nec videbitur illius sermo venustus, qui nó congruit personę, nec rebus est accommodatus, monstrosus etiam qui res pietatis tractat verbis impiorum quiq; materiam Christianam Paganicis nugis contaminat. quid si quid hic veniæ datur adolescentiæ, ne sibi sumat idem iuris ætas profectior. quid sic est Ciceronianus, vt parum sit Christianus, is ne Ciceronianus quidem est, quod non dicit apte, non penitus intelligit ea, de quibus loquitur, non afficitur his ex animo de quibus verba facit. Postremo non eodem ornatu tractat res suæ professionis, quibus Cicero tractauit argumenta suorum temporum. Huc discuntur disciplinę, huc philosophia, huc eloquentia, vt Christum intelligamus,

ligamus, vt Christi gloriam celebremus, Hic est totius eruditionis & eloquentię scopus. Admonendi sumus et illud, vt quod in Cicerone pręcipuum est imitemur. Id non in verbis, aut orationis superficie, sed in rebus ac sententijs, in ingenio consilioq; situm est. quid enim refert, si filius parentem oris lineamentis referat, quum ingenio moribusq; sit dissimilis? Postremo si non continget nobis vt istorum suffragijs Ciceroniani dicamur, moderate ferendum est, quod nobis cum tot egregijs viris, quos ante recensuimus, commune est. Stultum est sequi quod asse qui non possis. Delicatum est ob id misere discrutiari, quod tot eximij scriptores ęquo tulerũt animo, Indecorum est affectare, quę nobis nõ congruunt, Ineptum est aliter velle dicere, quàm res postulat, Insanum est tantis vigilijs emere, quod vix vsquam sit vsui futurum. Huiusmodi fermè pharmacis medicus ille meo me morbo liberauit, quę si non grauabimus deuorare, spero futurum, ut & te Nosopone, & te Hypologe febris ista relinquat. HYP. Ego sanè iam dudum morbo leuatus sum. NOS. Et ipse propemodum nisi quod mali diu familiaris etiamnum reliquias aliquas sentio. B. Istę paulatim elabentur, et si quid opus erit, denuo τὸν λόγον medicum accerse mus.

ERASMVS ROT. IOANNI EMSTE DIO CARTVSIANO. S. D.

QVVM huc ętatis peruenerim, vir integerrime, tamen ipsa re comperi, me mihi nōdum satis notum esse. Siquidem existimabam me tum philosophię pręceptis, tum diutinā peneq; perpetuā maloꝝ ferendoꝝ assuetudine, satis instructum aduersus istos vulgares, ac propè quotidianos casus, quos à mulierculis etiā videmus moderatè ferri. Cęteꝝ amici Ioannis Frobenij mors inopinata, sic affixit animum meum, vt mœrorem nullis auocamentis potuerim eximere pręcordijs. Iā tempus, quod acerbissimis etiā doloribus mederi solet, adeo non leniјt ęgritudinem, vt paulatim magis ac magis increuerit dolor, quemadmodū solet lentum & insidiosum quoddam febris genus obrepere, quo nō aliud aiunt immedicabilius esse. Exedebat me reluctantem cura, penitus medullis insita. Tanto potentius est quod conglutinauit animi inductio mutuaq; beneuolentia, q̄ quod natūra coniūxit. Quàm hic mecum litigaui, quibus conuicijs meam mihi molliciem exprobraui? vbi nunc est, inq̄, ille rhetor, qui splēdidis dictis solet alioꝝ mœrorem vel eximere vel obiurgare? Vbi philosophus ille Stoicus, domitor humanoꝝ affectuū? Vbi Theologus? qui docere consueuit pioꝝ hominum mortem, non luctu lachrymisq;, sed gratulationibus, plausuq; prosequendam esse? Quod multis? Nusq̄ me magis puduit mei. Nunq̄ enim ante hac expertus sum quantam vim haberet syncera amicitia, ac mutuus aiorum nexus. Fratris germani mortem moderatissime tuli, Frobenij desideriū ferre nō possum.

Non irascor dolori meo nimium iustissimo, sed immodicum nimisq; diuturnum esse indignor. Porrò quemadmodum non erat simplex amor quo uiuum prosequebar ita nec ereptū simplex me cruciat desideriū. Magis enim amabam illum ob liberalia studia, quibus ornandis prouehendisq; vir ille, fato quodam prouidentia datus videbatur, q̃ ob animum in me propensum, moresq; candidissimos. Quis enim tale non amet ingeniū? Solus erat amico amicus, tam simplex ac syncerus, vt etiam si quid voluisset simulare aut dissimulare, non potuisset repugnante natura, tam promptus & alacer ad benemerendum de omnibus, vt indignis etiam ex ipso beneficij quippiam accessisse gauderet. Vnde & furacibus ac decoctoribus erat & gratus & idoneus. Ereptam furto, aut à male fidei debitoribus interceptam pecuniam, ea solet alacritate cō memorare, qua lucrum pręter spem obiectum, alij Fide tam incorrupta, vt in neminem magis congruat illud. Dignus qui cum in tenebris mices, atq; vt ipse fraudem nemini machinabatur, ita de nullo tale quicq̃ suspicari poterat, tametsi non raro de'usus quid esset inuidię morbus, nihilo magis imaginari potuit, q̃ ij qui cęci nascuntur, animo fingere possunt, quid sit color. Offensas quis capitales prius condonabat, quàm rogaret is qui offenderat. Nec vllius omnino iniurię poterat meminisse contrà nullius quamlibet vulgaris officij poterat obliuisci. Atq; hic sanè mea sententia, melior erat interdum, q̃ expediebat vigilanti patrifamilias. Admonebā interdum vt in synceros amicos esset qualem esse deceret, in impostores verbis duntaxat benignus esset, interim sibi cauens, ne damnum cum ludibrio lucrifaceret. Arridebat

humaniter, sed surdo canebam fabulam. Vicit omnia mo nita naturę candor. Mihi vero quas non tendebat insidias, quas non uenabatur occasiones, ut aliquid obtruderet muneris? Nec unq̃ vidi lętiorem, q̃ quum vel dolo perfecisset, vel precibus impetrasset, vt aliquid acciperē. Hic aduersus hominis captiones erat opus cautione maxima, nec vsq̃ magis opus erat mea rhetorica, q̃ ad excogitandum colorem, quo citra molestiam amici recusarem quod ingerebat. Tristem enim illum videre non sustinebam. Si forte pannus ad vestem erat emptus per famulos meos, ille subodoratus, me nihil suspicante iam soluerat. Nec vllis precibus adigi potuit vt reciperet. Arte simili fallendus erat, si voluissem illum eximere dãno. Tale certamen inter nos fuit assidue, longe diuersum à vulgi moribus, dum alter hoc agit vt abradat q̃ plurimum, alter agit vt det q̃ minimum. Ne quid omnino daret, efficere non potui, certe moderatissime illius benignitate vsum esse me, testabitur, ut arbitror, omnis illius familia. Mihi quicquid laborũ suscipiebatur, amore studiorũ suscipiebatur. His cum ille cohonestandis, illustrandis, prouehendis'q; natus videretur, nec vllum defugeret laborem, nullas vigilias, satis magnum quęstum esse ducens, si bonus autor cum dignitate prodiret in manus hominum, qui potuissem in hominem sic animatum prędonem agere? Si quando nobis ac cęteris amicis ostendebat primas paginas magni cuiusdam autoris, vt gestiebat gaudio, quę vultus alacritas, qui triumphi? Dicere illum iam tum totius operę fructum cumulatissime percepisse, nec aliud expectare pręmium. Non hic attollam Frobeni laudes aliorum vituperatione. Nimis no-

tum est, quos autores, quę mendose, q̃ sordide excusos nobis typographi quidam etiam è Venetia Roma'ꝗ miserint. Ex huius autem domo paucis annis, quę volumina, q̃ta cum dignitate prodierunt? Eó ꝗ suam officinam à contentiosis libellis, unde quęstum haud mediocrem fecerunt alij, semper immunem seruauit, ne literas ac disciplinas aliqua contaminaret inuidia. Hieronymum bis excuderat. Ab Augustino pari cum dignitate rursus excudendo, quum amici complures, in quibus & ipse, deterrerent, tamen totum animum sic huc appulerat, vt inter familiares subinde dicere solitus sit, se non optare longius vitę spacium q̃ quod absoluendo sufficeret Augustino. Primum ac secundum Tomos vidit absolutos. Pium erat hominis votum, & erat animus ille dignus immortalitate, sed aliter visum ęterno numini, cuius in abdito sunt consilia, quę nobis scrutari fas non est, reprehẽdere nefas. Aetas erat prouectior, sed ualetudo ita prospera, vegeta, vt ꝑ omnem vitam nunq̃ morbo decubuerit. Ante annos sex è summis gradibus in solum lateritium decidit, casus erat plus q̃ lętalis, conualuit tamen, sed ut solet, mali reliquijs in corpore resid̃etibus, utcunꝗ dissimulabat ille. Tam erat animi generosi, vt puderet dolore. Anno priusq̃ moreretur, corripuit illum grauissimus cruciatus circa talũ dextri pedis. Ibi presto erant medicoꝝ officia quę nihil aliud q̃ exasperabant malũ, dum de morbi genere dissentientes, alij aliud admouẽt remedium, nec deerant qui autores essent pedem resecandum esse. Tandem aliunde venit medicus, qui dolorem hactenus sedaret, vt & tolerabilis esset, et somni cibi'ꝗ sumendi permitteret facultatem. Demum ita confir

mtus est, vt bis equo proficisceretur Francfordiam, malo in dextri pedis digitos relegato, quos solos flectere non poterat, cętera valens. Tum à me tum à medico frequenter monitus, vt rarius prodiret in publicum, aut vestitu contra frigus munitior prodiret, non obtemperauit pudendum esse ratus, si quicq omnino pristinę consuetudinis omittens, morbi speciem prę se ferret. Iam & duos manus dextrę digitos stupor occuparat, morbi imminentis prćludium. Dissimulauit & hoc, parũ virile ducens quicq morbo concedere. Deniq dum in sublimi agit nescio quid, correptus, vt est probabile, vi morbi, in pauimentum decidit pronus, non sine graui cranij vulnere. Delatus in lectum nec oculos attollebat, nec ullum sensus indicium dedit, nec vllam omnino vitę significationem, nisi quod manum sinistram mouebat, nam dextrum latus omne dissimulata paralysis stupefecerat. Ita biduum consopitus, sub mortem experrectus est, ęgre paulum diductis oculi sinistri genis, lingua tamen immobili, nec supuixit vltra sex horas. Ita noster Frobenius rebus humanis exemptus, ad vitam transijt feliciorem. Vxori, liberis, amicis, acerbo luctu, toti ciuitati notisq; omnibus graui sui desiderio relicto. Ob huius mortẽ decebat oẽs qui colunt bonas literas, pullatos, lachrymas & luctum funere, apio, flosculisq; sepulchrũ ornare, lymphas aspergere, odores adolere, si quid talibus officijs proficeretur. Certe illud erit gratitudinis vt oẽs defuncto bene precemur, memoriamq; laudibus debitis celebremus. Officinę FROBENIANAE *faueamus, quę non solum non cessabit obberi sui decessum, sed summa vi adnitetur, vt quod ille instituit, semp in maius meliuś q prouehatur.*

EPITAPHIVM IOANNIS FROBENII PER ~~ERASMVM ROTERODAMVM.~~

Arida Ioannis tegit hic lapis oßa Frobeni,
Orbe viret toto, neſcia fama mori.
Moribus hanc niueis meruit ſtudijsq; iuuandis,
quę nunc mœſta iacent orba parente ſuo.
Rettulit, ornauit veterum monumenta ſophorum,
Arte, manu, curis, ęre, fauore, fide.
Huic vitam in cœlis date numina iuſta perennem,
Per nos in terris fama perennis erit.

Eiusdem in eundem Grece.

Ὧδ' Ἰωάννης καθεύδει τυπογράφος Φροβέννιος,
Οὐδὲν ἄλλῳ πλέον ὀφείλει τὸν λόγον σπουδάσματα
Μὴν νεκρὸν θρηνεῖτε, ζῇ γὰρ καὶ πνέει, πνεύσων ἀεί,
Τῇ τε ψυχῇ, τῇ τε φήμῃ, τοῖς τε βίβλων λειψάνοις.

In Ioannem Frobenium Glareani.

Est Nemesis, sunt fata bonis plane inuidia rebus,
Numinaq; humanis leta subinde malis.
Restituit Musas sacrasq; Frobennius artes,
Sustulit ab immundo squallida multa situ,
Maiestas Euangelica, ac sacer ille virorum
Proximus à Paulo qui solet esse choros,
Multa mihi debent, debet lingua vtraq; multa,
Debet & officio docta iuuenta meis.
Hic scopus vnus erat, cunctis prodesse, nocere
Nemini, amare bonus & tolerare malos.
Mors rapuit, mors fortunę grauis ęmula nostrę.
Heu quo prisca fides, quo pietatis amor?
Simplicitas prudens, rerum prudentia simplex,
Extulerint clarum nomen in astra meum.
Est mihi sementis multo sudata labore,
Ast alij lętę commoda messis habent.
Nil queror, haud fallet mea merces vnica Christus,
Fœnore centuplici qui benefacta refert.

DEO OPT. MAX.

IOANNI FROBENIO.

Tot veterum à mortis reuocat dum limine libros
Traxit in inuidiam parca seuera suam.
Atq; senem stupido percussit sideris ictu,
Quodq; alijs prohibet nunc tibi dixit habe.

Græcæ Latinæq; linguæ studiosi omn, mœsti P. A. Alciati Iurecos. Mediolanen.

IANI. CORN.

Qui linguas qui litterulas ornauit, & idem
Protulit è scriptis optima quæq; bonis.
Orbe volat toto celeberrima fama Frobenni
Ossa breui saltem condita sunt tumulo.

EIVSDEM.

Ὀστέα φρωβενίοιο πολυγράφου ἐνθάδε κεῖται,
Οὐκ ἔθαν᾽, εἰσ᾽ ὄντως ἀθάνατοι γραφίδες.

Hilarij Bertulphi elegia in defunctum Ioannem Frobenium.

Lis orta in cœlis, sacer ille Hieronymus ante
Aphro incedebat comptior Aurelio.
At nunc Aurelius capit Augustinus honorem
Et cultum hunc, illi quem Basilæa dedit.
Dalmata Zelotypus Parcas adit, vt vel Erasmo
Vel rumpant viridi stamina Frobenio.
Contra orat Iunior Vafer hic, exorat, vt est bos
Lassus, humi figens fortius ille pedem.
Paucos Frobenios, sed nullum prorsus Erasmum,
Inueniemus ait ex tribus vna soror.
Sic desiderio duplicem vt fila vel Ossa
Reclamante, data est optio Frobenio,
Vtrum se malit ne an fato occumbere Erasmum,
quo sine consultum non erit Aurelio.

imitandi tantum Ciceronem, nunquam à lineamentis illius oculos deflectens, quod hæc anxietas efficiat, vt minus hoc ipsum assequaris quod sequeris. An hoc est deterrere ab imitatione Ciceronis? Num hoc est docere, neminem omnino imitandum esse? An is qui varia lectione instructus, atq; vt ita dicam, saginatus, dum scripturienti, quod in quoq; legit optimum, venit in mentem, non imitatur aliquem, etiamsi non illis seruit nec assidet, sed suos affectus ac rem, de qua parat dicere, adhibet in consilium? At Cortesius negat sibi placere simios Ciceronis, Similem, inquiens, volo mi Politiane, nó vt simiam hominis, sed vt filium parentis, eadem loquens quę dixerat Politianus. Id multis verbis prosequutus, tandem velut immemor sui, fatetur se malle esse simium Ciceronis, quàm aliorum filium. Si vox hæc, aliorum, complectitur Salustium, Liuium, Quintilianum, Senecam, quis non malit se esse similem illis, quemadmodum filius similis est patri, quàm sic esse similis M. Tullio, quemadmodum simia similis est homini? Post hæc multa congerit in eos qui sese ingurgitant varia lectione, nec ea quæ legunt concoquunt. Horum orationem existere scabram, inconditam & asperam. Sed quid hæc ad epistolam Politiani? Si sentit cum illo, quur ita respondet quasi dissentiat? Si dissentit, quæ Politianus probat erant refellenda. Nam illud vel maxime Ciceronianum est, dispicere quid sit in controuersia, quid conueniat cum aduersario, & in quo sit causæ status, neq; quicquam extra causam dicere. Proinde prolixam epistolam elaborauit Cortesius, magis quàm Ciceronianam, cui velut aliena loquenti, nihil respondit Politianus.

At Politianus qui audiebat non Ciceronianus, quanto melius Ciceronem exprimit, breuiore licet epistola, non tantum sententiarum argutia, verum etiã verbis aptis, elegantibus, ac significantibus? etiamsi me non fugit huius viri meritis famam apud eruditos Italię, malignius respondisse, quam ob rem nescio. Neq; vero mihi dicuntur hæc in suggillationem Cortesij, nec enim contumeliosum est postponi vix cuiquam imitabili Politiano, sed vt adolescentibus exemplo commonstretur, quid sit vere Ciceronem exprimere. HYP. Tot ambagibus nos circumagis Bulephore, vt parum absit quin ex Hypologo fiam Hyponosus. Quin tu simpliciter explana, quid de Cicerone quidq; de hoc imitando sentias. NOS. Hoc ipsum & ego peruelim, nam eò propemodum tua me perduxit oratio, ut statuerim tuis obtemperare consilijs. BVLE. Nihil arbitror restare, nisi vt quæ sparsim disserta sunt hactenus, in compendium contrahamus. NOSO. quis tibi videtur M. Tullius? BVLE. Dicendi artifex optimus, atq; etiam vt inter ethnicos vir bonus, quem arbitror si Christianam philosophiam didicisset, in eorum numero censendum fuisse, qui nunc ob vitam innocenter pieq; transactam pro diuis honorantur. Artem et vsum in illo plurimum valuisse fateor sed multo maximam eloquentię suæ partem debuit naturę, quam nemo sibi dare potest. Nec alium è Latinis scriptoribus arbitror magis habendum in sinu pueris & adolescentibus, qui in eloquentię laudem educantur. Poetarum tamen lectionem Latinorum duntaxat volo priorem esse, quod hoc Musę genus magis conuenit ætati teneræ. Nec quenquam ad Ciceronis accura-

tam imitationem vocari volo, nisi prius cognitis artis rhetoricæ præceptis. Post hæc adesse volo commonstratorem artis, veluti solent pictores discipulis in tabula quapiam insigni demonstrare, quid ex arte factum sit, quid contra. Rursus M. Tullium in parte studiorum, præcipuum ac primum esse volo, non solum, nec sequendum tantum puto, sed imitandum potius, atque æmulandum etiam. Etenim qui sequitur, alienis ingreditur vestigijs, & seruit præscriptio. Porrò vere dictum est, eum non posse bene ambulare, qui pedem semper ponit in alieno vestigio, nec unquam bene natare, qui non audet abijcere suber. Imitator autem non tam eadem dicere studet quàm similia, imò ne similia quidem interdum, sed paria magis Aemulator vero contendit etiã melius dicere si possit. Nullus autem fuit unquam tam absolutus artifex, in cuius opere non aliquid deprehendas, quod melius reddi possit. Ad hæc nolim hanc imitationem nimis anxiam ac superstitiosam esse. Nam hocipsum obstat quo minus efficiamus quod volumus. Nec ita censeo M. Tullium adamandum, vt à cæteris omnibus abhorreas, sed optimos quosq; primum legendos, & ex optimis quoque est optimum excerpendum, neque enim est necesse, vt quenquam totum imiteris. Nec illos aspernandos censeo, qui dictionem quidem non multum iuuant, sed tamen rerum copiam suppeditant, velut Aristoteles, Theophrastus, & Plinius. Ad hæc nolim quenquam sic addictum esse Ciceroni imitando, vt à suo recedat genio, & valetudinis vitæq; dispendio consectetur, quod repugnante Minerua non possit assequi, vel nimio constaturum sit, si tam

dem assequatur. Præterea nolim hoc solum agi, nec ita laudem Ciceronianæ dictionis ambiendam arbitror, vt Liberales disciplinas, cum primis necessarias, negligas. Ab istis vero, velut à peste cauendum, qui clamitant esse nefas vti voce, quæ non reperiatur in libris Tullianis. Posteaquam enim ius Latini sermonis desijt esse penes vulgarem consuetudinem, quicquid vocabulorum deprehenditur apud idoneos scriptores, vsurpemus nostro iure, quum opus est; & si durius obsoletumq; videtur, quod à paucis sit vsitatum, nos in lucem proferamus, crebraq; ac tempestiua vsurpatione molliamus. Quæ tandem inuidia sit, quum veteres Græcorum voces mutuo sumpserint, quoties Latinæ vel deerant, vel minus significantes habebantur, nos vbi res postulat à dictionibus, quas apud probatos autores comperimus temperare? Nec minorę studio fugiendi videntur & illi, qui reijciendum & omnino lectu indignum vociferari solent, quicquid verbis, formulis & numeris non effictum sit ad Ciceronis imitationem, quum liceat diuersis virtutibus, si non similes, certe pares esse Ciceroni. Absit à nobis hęc fastidiosa morositas, quin potius quod Naso ludens narrat sibi accidisse in puellarum amoribus, id nos serio præstemus in autorum lectione. Ille proceram commendabat puellam, quod heroina videretur, breuis placebat ob commoditatem, primam ętatem flos ipse commendabat, grádiorem rerum vsus, in illiterata delectabat simplicitas, in erudita ingenium, in candida coloris gratiam amabat, in fusca nescio quid latentis gratię sibi fingebat. Eodem cádore si nos ex singulis scriptoribus ex-

cerpemus quod habent probandum, nullum fastidiemus sed ex omnibus aliquid delibabimus, quod nostram condiat orationem. Cæterum illud ante omnia prouidendum ne simplex ac rudis ætas Ciceroniani cognominis præstigio decepta, pro Ciceroniana fiat pagana. Videmus enim huiusmodi pestes nondum prorsus extinctas, subinde meditari repullulascentiam, sub hoc fuco veteres hæreses, sub alio Iudaismum, sub alio paganitatem. Sic ante complures annos factiones oriri cœperant apud Italos Platonicorum & peripateticorum. Facessant hæc dissidiorum cognomina, ea potius inculcemus, quæ & in studijs & in religione, & in omni vita concilient a'antq; mutuam beneuolentiam. Proinde de rebus sacris primum ea combibenda est persuasio, quę vere Christiano digna sit. Id si fiat, nihil videbitur ornatius cœlesti philosophia, nihil suauius Iesu Christi nomine, nihil venustius vocabulis, quibus ecclesia luminare arcanas tractarunt. Nec videbitur illius sermo venustus, qui nō congruit personę, nec rebus est accommodatus, monstrosus etiam qui res pietatis tractat verbis impiorum quiq; materiam Christianam Paganicis nugis contaminat. quid si quid hic veniæ datur adolescentiæ, ne sibi sumat idem iuris ætas profectior. quid sic est Ciceronianus, vt parum sit Christianus, is ne Ciceronianus quidem est, quod non dicit apte, non penitus intelligit ea, de quibus loquitur, non afficitur his ex animo de quibus verba facit. Postremo non eodem ornatu tractat res suæ professionis, quibus Cicero tractauit argumenta suorum temporum. Huc discuntur disciplinę, huc philosophia, huc eloquentia, vt Christum intelligamus,

ligamus, vt Christi gloriam celebremus, Hic est totius eruditionis & eloquentię scopus. Admonendi sumus et illud, vt quod in Cicerone pręcipuum est imitemur. Id non in verbis, aut orationis superficie, sed in rebus ac sen tentijs, in ingenio consilioq́; situm est. quid enim refert, si filius parentem oris lineamentis referat, quum ingenio moribusq́; sit dissimilis? Postremo si non continget nobis vt istorum suffragijs Ciceroniani dicamur, moderate ferendum est, quod nobis cum tot egregijs viris, quos ante recensuimus, commune est. Stultum est sequi quod assequi non possis. Delicatum est ob id misere discrutiari, quod tot eximij scriptores ęquo tulerũt animo, Indecorum est affectare, quę nobis nõ congruunt, Ineptum est aliter velle dicere, quàm res postulat, Insanum est tantis vigilijs emere, quod vix vsquam sit vsui futurum. Huiusmodi fermè pharmacis medicus ille meo me morbo liberauit, quę si non grauabimus deuorare, spero futurum, ut & te Nosopone, & te Hypologe febris ista relinquat.

HYP. *Ego sanè iam dudum morbo leuatus sum.* NOS. *Et ipse propemodum nisi quod mali diu familiaris etiamnum reliquias aliquas sentio.* B. *Istę paulatim elabentur, et si quid opus erit, denuo* ἐν λόγον *medicum accersemus.*

T

ERASMVS ROT. IOANNI EMSTEDIO CARTVSIANO. S. D.

QVVM huc ętatis peruenerim, vir integerrime, tamen ipsa re comperi, me mihi nõdum satis notum esse. Siquidem existimabam me tum philosophię pręceptis, tum diutina penéq; perpetua maloꝝ ferendoꝝ assuetudine, satis instructum aduersus istos vulgares, ac propè quotidianos casus, quos à mulierculis etiã videmus moderate ferri. Cęteꝝ amici Ioannis Frobenij mors inopinata, sic afflixit animum meum, vt mœrorem nullis auocamentis potuerim eximere pręcordijs. Iã tempus, quod acerbissimis etiã doloribus mederi solet, adeo non leniit ęgritudinem, vt paulatim magis ac magis increuerit dolor, quemadmodũ solet lentum & insidiosum quoddam febris genus obrepere, quo nõ aliud aiunt immedicabilius esse. Exedebat me reluctantem cura, penitus medullis insita. Tanto potentius est quod conglutinauit animi inductio mutuaq; beneuolentia, q̃ quod natura coniũxit. Quàm hic mecum litigaui, quibus conuicijs meam mihi molliciem exprobraui? vbi nunc est, inq̃, ille rhetor, qui splẽdidis dictis solet alioꝝ mœrorem vel eximere vel obiurgare? Vbi philosophus ille Stoicus, domitor humanoꝝ affectuũ? Vbi Theologus? qui docere consueuit pioꝝ hominum mortem, non luctu lachrymisq;, sed gratulationibus, plausuq; prosequendam esse? Quod multis? Nusq̃ me magis puduit mei. Nunq̃ enim ante hac expertus sum quantam vim haberet syncera amicitia, ac mutuus aĩorum nexus. Fratris germani mortem moderatissime tuli, Frobenij desideriũ ferre nõ possum.

Non irascor dolori meo nimis; iustissimo, sed immodicum nimisq; diuturnum esse indignor. Porrò quemadmodum non erat simplex amor quo uiuum prosequebar ita nec ereptū simplex me cruciat desideriū. *Magis enim amabam illum ob liberalia studia, quibus ornandis prouehendisq; vir ille, fato prouidentia datus videbatur, q̃ ob animum in me propensum, moresq; candidissimos. quis enim tale non amet ingeniū? Solus erat amico amicus, tam simplex ac syncerus, vt etiam si quid voluisset simulare aut dissimulare, non potuisset repugnante natura, tam promptus & alacer ad benemerendum de omnibus, vt indignis etiam ex ipso beneficij quippiam accessisse gauderet. Vnde & furacibus ac decoctoribus erat & gratus & idoneus. Ereptum furto, aut à male fidei debitoribus interceptum pecuniam, ea solet alacritate cō memorare, qua lucrum præter spem obiectum, alij Fide tam incorrupta, vt in neminem magis congruat illud. Dignus qui cum in tenebris mices, atq; vt ipse fraudem nemini machinabatur, ita de nullo tale quicq̃ suspicari poterat, tametsi non raro de'usus quid esset inuidię morbus, nihilo magis imaginari potuit, q̃ ij qui cęci nascuntur, animo fingere possunt, quid sit color. Offensas q̃uis capitales prius condonabat, quàm rogaret is qui offenderat.* Nec vllius *omnino iniurię poterat meminisse contrà nullius quamlibet vulgaris officij poterat obliuisci. Atq; hic sanè mea sententia, melior erat interdum, q̃ expediebat vigilanti patrifamilias.* Admonebā *interdum vt in synceros amicos esset qualem esse deceret, in impostores verbis duntaxat benignus esset, interim sibi cauens, ne damnum cum ludibrio lucrifaceret.* Arridebat

humaniter, sed surdo canebam fabulam. Vicit omnia mo nita naturę candor. Mihi vero quas non tendebat insidias, quas non uenabatur occasiones, ut aliquid obtruderet muneris? Nec unq̃ vidi lętiorem, q̃ quum vel dolo perfecisset, vel precibus impetrasset, vt aliquid acciperé. Hic aduersus hominis captiones erat opus cautione maxima, nec vsq̃ magis opus erat mea rhetorica, q̃ ad excogitandum colorem, quo citra molestiam amici recusarem quod ingerebat. Tristem enim illum videre non sustinebam. Si forte pannus ad vestem erat emptus per famulos meos, ille subodoratus, me nihil suspicante iam soluerat. Nec vllis precibus adigi potuit vt reciperet. Arte simili fallendus erat, si voluissem illum eximere dáno. Tale certamen inter nos fuit assidue, longe diuersum à vulgi moribus, dum alter hoc agit vt abradat q̃ plurimum, alter agit vt det q̃ minimum. Ne quid omnino daret, efficere non potui, certe moderatissime illius benignitate vsum esse me, testabitur, ut arbitror, omnis illius familia. Mihi quicquid laborũ suscipiebatur, amore studiorũ suscipiebatur. His cum ille cohonestandis, illustrandis, prouehendis' q́ natus videretur, nec vllum defugeret laborem, nullas vigilias, satis magnum quęstum esse ducens, si bonus autor cum dignitate prodiret in manus hominum, qui potuissem in hominem sic animatum prędonem agere? Si quando nobis ac cęteris amicis ostendebat primas paginas magni cuiusdam autoris, vt gestiebat gaudio, quę vultus alacritas, qui triumphi! Diceres illum iam tum totius operę fructum cumulatissime percepisse, nec aliud expectare pręmium. Non hic attollam Frobeni laudes aliorum vituperatione. Nimis no-

tum est, quos autores, quę mendosè, q̃ sordide excusos nobis typographi quidam etiam è Venetia Roma'q; miserint. Ex huius autem domo paucis annis, quę volumina, q̃ta cum dignitate prodierunt? Eo'q; suam officinam à contentiosis libellis, unde quęstum haud mediocrem fecerunt alij, semper immunem seruauit, ne literas ac disciplinas aliqua contaminaret inuidia. Hieronymum bis excuderat. Ab Augustino pari cum dignitate rursus excudendo, quum amici complures, in quibus & ipse, deterrerent, tamen totum animum sic huc appulerat, vt inter familiares subinde dicere solitus sit, se non optare longius vitę spacium q̃ quod absoluendo sufficeret Augustino. Primum ac secundum Tomos vidit absolutos. Pium erat hominis votum, & erat animus ille dignus immortalitate, sed aliter visum ęterno numini, cuius in abdito sunt consilia, quę nobis scrutari fas non est, reprehẽdere nefas. Aetas erat prouectior, sed ualetudo ita prospera, vegeta, vt p omnem vitam nunq̃ morbo decubuerit. Ante annos sex è summis gradibus in solum lateritium decidit, casus erat plus q̃ letalis, conualuit tamen, sed ut solet, mali reliquijs in corpore residẽtibus, utcunq; dissimulabat ille. Tam erat animi generosi, vt puderet dolore. Anno priusq̃ moreretur, corripuit illum grauissimus cruciatus circa talũ dextri pedis. Ibi presto erant medicorũ officia quę nihil aliud q̃ exasperabant malũ, dum de morbi genere dissentientes, alij aliud admouẽt remedium, nec deerant qui autores essent pedem resecandum esse. Tandem aliunde venit medicus, qui dolorem hactenus sedaret, vt & tolerabilis esset, et somni cibi'q; sumendi permitteret facultatem. Demum ita confir

natus est, vt bis equo proficisceretur Francfordiam, malo in dextri pedis digitos relegato, quos solos flectere non poterat, cętera valens. Tum à me tum à medico frequenter monitus, vt rarius prodiret in publicum, aut vestitu contra frigus munitior prodiret, non obtemperauit pudẽdum esse ratus, si quicq̃ omnino pristinę consuetudinis omittens, morbi speciem prę se ferret. Iam & duos manus dextrę digitos stupor occuparat, morbi imminẽtis preludium. Dissimulauit & hoc, parũ virile ducens quicq̃ morbo concedere. Deniq; dum in sublimi agit nescio quid, correptus, vt est probabile, vi morbi, in pauimentum decidit pronus, non sine graui cranij vulnere. Delatus in lectum nec oculos attollebat, nec ullum sensus indicium dedit, nec vllam omnino vitę significationem, nisi quod manum sinistram mouebat, nam dextrum latus omne dissimulata paralysis stupefecerat. Ita biduum consopitus, sub mortem experrectus est, ęgre paulum diductis oculi sinistri genis, lingua tamen immobili, nec supuixit vltra sex horas. Ita noster Frobenius rebus humanis exemptus, ad vitam transijt feliciorem. Vxori, liberis, amicis, acerbo luctu, toti ciuitati notisq; omnibus graui sui desiderio relicto, Ob huius mortẽ decebat oẽs qui colunt bonas literas, pullatos, lachrymas & luctum funere, apio, flosculisq; sepulchrũ ornare, lymphas aspergere, odores adolere, si quid talibus officijs proficeretur. Certe illud erit gratitudinis vt oẽs defuncto bene precemur, memoriamq; laudibus debitis celebremus. Officinę FROBENIANAE faueamus, quę non solum non cessabit obberi sui decessum, sed summa vi adnitetur, vt quod ille instituit, semp in maius meliuś q; prouehatur.

EPITAPHIVM IOANNIS FROBENII PER ~~ERASMVM ROTERODAMVM.~~

Arida Ioannis tegit hic lapis ossa Frobeni,
Orbe viret toto, nescia fama mori.
Moribus hanc niueis meruit studijsq; iuuandis,
quę nunc mœsta iacent orba parente suo.
Rettulit, ornauit veterum monumenta saphorum,
Arte, manu, curis, ęre, fauore, fide.
Huic vitam in cœlis date numina iusta perennem,
Per nos in terris fama perennis erit.

Eiusdem in eundem Grece.

Ὧδ' Ἰωάννης καθεύδει τυπογράφος Φροβέννιος,
Οὐδὲν ἄλλῳ πλέον ὀφείλα ῥν λόγον σπουδάσματα
Μὴν νεκρὸν θρηνεῖτε, ζῇ γὰρ καὶ πνέει, πνεύσων ἀεί,
Τῇ τε ψυχῇ, τῇ τε φήμῃ, τοῖς τε βίβλοις λειψάνοις.

In Ioannem Frobenium Glareani.

Est Nemesis, sunt fata bonis plane inuidia rebus,
Numinaq́; humanis lęta subinde malis.
Restituit Musas sacrasq́; Frobennius artes,
Sustulit ab immundo squallida multa situ,
Maiestas Euangelica, ac sacer ille virorum
Proximus à Paulo qui solet esse choros,
Multa mihi debent, debet lingua vtraq; multa,
Debet & officio docta iuuenta meis.
Hic scopus vnus erat, cunctis prodesse, nocere
Nemini, amare bonus & tolerare malos.
Mors rapuit, mors fortunę grauis ęmula nostrę.
Heu quo prisca fides, quo pietatis amor?
Simplicitas prudens, rerum prudentia simplex,
Extulerint clarum nomen in astra meum.
Est mihi sementis multo sudata labore,
Ast alij lętę commoda messis habent.
Nil queror, haud fallet mea merces vnica Christus,
Fœnore centuplici qui benefacta refert.

DEO OPT. MAX.

IOANNI FROBENIO.

Tot veterum à mortis reuocat dum limine libros
Traxit in inuidiam parca seuera suam.
Atq; senem stupido percussit sideris ictu,
Quodq́; alijs prohibet nunc tibi dixit habe.

Græcæ Latinæq; linguæ studiosi omn. mœsti P.
A. Alciati Iurecos. Mediolanen.

IANI. CORN.

Qui linguas qui litterulas ornauit, & idem
Protulit è scriptis optima quæq; bonis.
Orbe volat toto celeberrima fama Frobenni
Ossa breui saltem condita sunt tumulo.

EIVSDEM.

Ὀστέα φρωβενίοιο πολυγράφου ἐνθάδε κεῖται,
Οὐκ ἔθαν', εἰσ' ὄντως ἀθάνατοι γραφίδες.

Hilarij Bertulphi elegia in defunctum
Ioannem Frobenium.

Lis orta in cœlis, sacer ille Hieronymus ante
Aphro incedebat comptior Aurelio.
At nunc Aurelius capit Augustinus honorem
Et cultum hunc, illi quem Basilæa dedit.
Dalmata Zelotypus Parcas adit, vt vel Erasmo
Vel rumpant viridi stamina Frobenio,
Contra orat Iunior Vafer hic, exorat, vt est bos
Lassus, humi figens fortius ille pedem.
Paucos Frobenios, sed nullum prorsus Erasmum,
Inueniemus ait ex tribus vna soror.
Sic desiderio duplicent vt fila vel Ossa
Reclamante, data est optio Frobenio,
Vtrum se malit ne an fato occumbere Erasmum,
quo sine consultum non erit Aurelio.

Tum vero pietas in apertum insigniter illo,
Prolata articulo Frobeniana fuit.
Protinus extincto ne tanta darentur Erasmo
Damna pijs studijs maluit ipse mori.

Erasmus Roterodamus in Brunonem Amerbachium.

Hic iacet ante diem fatis ereptus iniquis,
Gentis Amerbachię gloria prima Bruno.
Non tulit vxori superesse maritus amatę
Turtur vt ereptę commoriens socię.
Hunc plangę lugent Charites Musęq́; trilingues.
Canaq́; cum casta simplicitate Fides.

Iacobi Volcardi Bergensis in Martinum Dorpium.

Nos velut extinctum te Dorpi plangimus, at tu
Viuis, & optata nunc frueris requie.
Nos tibi Nestoreos toties optauimus annos,
Vicit vota deus, quippe perhennis eris.

Eiusdem in eundem distichon.

Ζῶν θνητοῖς ἄρα πᾶσι φίλος, χαρίεις τε ἔνθα,
Νῦν δὲ μετ᾽ ἀθανάτοις Δόρπιε θύρπον ἐλεῖς.

Erasmi Rot. in Iacobum, paulo post defunctum.

Dum Dorpium assidere mensis cœlitum
Iacobe gaudes, ille eodem te vocat,
Ita nos vicissim gratulamur & tibi,
Datum esse, mensis assidere cœlitum.

Epitaphium Martini Dorpij per
Conradum Goclenium.

Mortalem posui vitam, sed foenore multo,
Namque æterna mihi bis modo vita datur.
Corpore quod posito superis mens addita diuis
Aeternum æternis est fruitura bonis.
Hęc sunt insonti post funera reddita vitę
Pręmia, promeruit hoc pietatis amor.
Cuius inextincto mihi mens flagrauit ab igni
Omnis terroris libera, mixta deo,
Nec minus in terris est vita superstite fama
Parta, sed hanc artes contribuere bonę.
Quarum cultor eram, quarum monumenta reliqui,
De nobis semper quę documenta dabunt,
Non igitur vita defunctum dicito lector,
Sed nunc me natum cum Libitina tenet.

Francisci Crauenueldij Cen-
ton Homericus.

Ω πάτερ ἡμέτερε κρονίδη ὕπατε κρειόντων
Ως ἀπολεῖ μαρτῖνος ἐμός, μέγα κῦδος ὀλάνδων
Δώρπιος, ὃν μοῦσαι ἔτρεφον κατὰ δώματα καλὰ
Α᾽μβροσίην καὶ νέκταρ ὀπάσσαντες ἐνὶ οἴκῳ,
Θήσεσθ᾽ ἀθάνατος, καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα
Α῎ξιος ἦν, ὁ δὲ Λωβανίην ἐκατώρθατο μοῦσαν.
Ως δὲ λόγων θείων πεπνυμένος, οὐδ᾽ ἔτι θυμὸς
Μάταιος, ὃν θεσπέσιος ἐδίδασκεν ἀπόλλων.
Θάπτομεν ἀχνύμενοι θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες
Τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες



Δεινὴν ἀκροτάτῳ τύμβῳ γράψαντες ἀοιδὴν,
Α᾽λλὰ τίν νῦν στιβαρὴν κλαίειν προσφιλὸν ἀνάγκην
Σῶμα μόνον φθαρρὸν, τὰ δ᾽ ὀλύμπια δώματα ναίει
Η ψυχὴ, μακαροῖσι φίλη μιχθεῖσα θεοῖσι.

Versus ab eodem.

O pater altitonans, princeps iustissime regum,
Vt periit Martinus, magnum sidus Holandis
Dorpius, ille domi musis nutritus alumnus,
Ambrosiam nectarq; bibens, dignissimus ille
Immortalis, & haud tamen unquàm ętate senescens
Viuere, Louaniam correxet carmine musam.
O quàm diuino sapiens sermone fluebat,
Quanqꝫ nihil vani, docuit quem magnus Apollo.
Hunc tamen extulimus, lachrymisq; per ora subortis
Rorantes tumultum, superimpositaq; columna
Triste super summum carmen funebre sepulchrum
Scripsimus, at rigidum quid prodest plangere fatum,
Solum corpus obit, sed sidera, spiritus expers
Criminis, & diuis clarissimus vsqꝫ tenebit.

~~Erasmi Roterodami~~ epitaphium in
mortem Martini Dorpii.

Martinus vbi terras reliquit dorpius,
Suum orba partum flet parens Hollandia,
Theologus ordo luget extinctum decus,
Tristes Camœnę, candidis cum Gratijs.
Tantum patronum lachrymis desiderant,
Louaniensis omnis opplorans schola.
Sidus suum requirit, o mors, inquiens,

Crudelis, atrox, sęua, iniqua & inuida,
Itan' ante tempus floridam arborem secans,
Tot dotibus, tot spebus orbas, omnium
Suspensa vota? premite voces impias,
Non perijt ille, viuit ac decus suas
Nunc tuto habet, subductus æuo pessimo.
Sors nostra flenda est, gratulandum est Dorpio.
Hęc terra seruat mentis hospitium pię,
Corpusculum, quod ad canorę buccinę.
Vocem, resignans optima reddet fide.

QVERIMONIA DE OBITV IM *maturo doctissimi facundissimiq; viri* Martini Dorpij *per* Adrianum Barlandum.

VIctrix *quondam luxit ademptum sibi* Roma Ciceronem. *Luxit ademptum sibi nobilis Mantua* Vergilium. *Hęc poetam inclytum, oratorem illa pręstantissimum.* At Louanium *luget ereptum sibi lumen & ornamentum vnicum* Martinum Dorpium, *hunc et poëtam & oratorem & incomparabilem theologum.* O sęua, ò *fata inuida, ò inuida fata, cur tantum virum* Nestoris *annis, longissima vita dignissimum, huic vrbi, imò orbi tam iuuenē ademistis?* Hic *primus in hac schola, in hoc emporio disciplinarum iacentes excitauit literas.* Primus *in hoc Musarum domicilio amœnissimo iuuentutem docuit* Plautina, Terentianaq; *verba sonare.* Primus *tricas expulit sophisticas.* Inde *quum iam annos aliquot magna cum laude pubem instituisset* Lilianam, *ad diuinæ sapientię scholam accidens, breui hic ita*

promouit, vt inter suos & hos magno atque excellenti ingenio viros, vnus admirationi esset omnibus. Quo vero tempore est huic Louaniensis scholę credita dictatura; rebus etiam domestica discordia turbulentissimis, ita pręfuit, ita vigilauit, ita attente & alacriter publicum egit negotium, vt nemo non eum optaret dictatorem perpetuum. Nusquam non audirentur eę voces, Dorpius viuat vnica nobilium virorum gloria, vnicum florentis decus Louanij. O sęua sęua, ô fata inuida, inuida fata, cur tantum virum Nestoreis annis, longissima vita dignissimum huic vrbi, imò orbi tam iuuenem ademistis?

Desij inter homines esse hic vir eximius, Anno virginei partus, M D X X V. Pridie Calend. Iunias. Sepultus in cœnobio cartusianorum.

Epithaphium Martini Dorpii Lodouico Viuete Valentino autore.

Resiste viator, Saxum hoc magni illius continet cineres Dorpij. quem nuper iuuenem terris mors eripuit digna enim cœlo, indigna huius temporis plusquam ferrei tumultibus mens viri fuit.

EIVSDEM.

Tu quidem properas viator, sed nos abs te exiguam morulam poscimus, tuá ne magis caussa, an nostra, vbi hęc cognoueris, censeto, Martinum Dorpiũ theologum (qui sic vixit, vt terra esset eo indigna, sic mortuus est, vt cœlum videretur illum terris inuidere) mors superum ministra, mortalibus eripuit, immortalibus reddidit, Animam tulit deus carnem morbus, ossa nobis ad solatium relicta, nos hic condidimus. Amicis talé mortem precamur, inimicis, ne quid dicamus parum christiane,

talem vitam. Ecquid te pœnitet rem tantam cognoſſe?
Vale & viue.

Martini Dorpij epithaphium per
Germanium Brixium.

Dorpius effertur, fatum hoc lugete ſodales,
quos ſophię oblectant dogmata vera ſacrę.
Vnus enim hic ſtudijs veſtris, dum vixit, honorem
Et tulit, & lumen mortuus vsq; feret.
Lugete & quoſcunq; nouem voluere ſorores
Sacra Caballino proluere ora lacu,
Idem etenim ſtudijs veſtris ſic fauit, vt illum
Et viuum coleret veſter ERASMVS *honos,*
Et modo defuncto pius ipſe parentet, amicos
Et quoſcunq; rogat, fungier officio,
Quorum inter varios queſtus, hoc Brixius vrnam
Signabat mœrens carmine Dorpiada.
Dorpius hic ſitus eſt, Batauis qui natus in agris,
Doctrinę Latię calluit omne genus.

M. Allardi Amſtelredami in mortem
Martini Dorpij ἐπικήδιον.

Martinus ille Dorpius, ille Dorpius,
Cunctis abundans dotibus, quum corporis.
Tum mentis, incertisq; fortunę bonis,
Grauiter diu tentatus ictero nigro,
Ictis & hauſtis mordicus precordijs,
Virides per annos, integer ęui concidit,
Martinus ille Dorpius, ille Dorpius,
Hollandię decus, decus Germanię,
Atq; adeo columen orbis, orbis maximum

Atq; adeo columen orbis, orbis maximum
Miraculum, rarumq; item spectaculum.
Decus illud orbis, atq; pręsidium vnicum
Et litterarum & litteratorum omnium,
Linguaeq; vindex triplicis perstrenuus,
Eximius ille mentis interpres sacrę,
Nouęq; legis gratię preco vigil.
Gnauus sibi concrediti pastor gregis,
Dulcisq; vitę pabulo pascens oues,
Ducens, reducens, ne rapax voret lupus.
Tum Christianę splendidum modestię
Columen, benignus, integer ac abstemius,
Alumnus omnis pacis & concordię.
Tum Christianismum referens purissimum
Candore vitę, moribus integerrimis,
Turbę fuga, domestico silentio,
Amore recti, charitate proximi,
Frugalitate, iugibus liturgijs,
Seręq; noctis lucubratiunculis.
Aetate rebus lubrica Veneris malę
Et Bacchicis nunquam vacans, aut obsequens.
Pudore cœlebs virgineo semper manens.
Teneris ab annis litteras doctus bonas,
Triplici valens lingua, valens facundia,
Bonaq; mente iudicioq; acerrimo,
Lepidus poeta, rhetor haud inelegans,
Et pauca multis, multa paucis disserens,
Numeroq; dicens, opus vbi esset dicere,
Studijs honestis semper impensissime
Fauens, eorumq; excolens antistites.

Festiuiter,

Festiuiter, salsę'ue dictis plurimum
Gaudens, iocosq́; sed ingenuos referens libens,
Vehemens in iram, cętera prorsus candidus.
Martinus ille Dorpius, ille Dorpius
Virides per annos, integer æui concidit.
Qui sermo, quę pręcepta, quę recondita
Antiquitatis huic fuit peritia?
Veteres ad unguem omnes tenebat Theologos,
Idem palęstræ nec rudis scholasticę,
Laciniosis disputatiunculis,
Simul ad periclum ingenij descenderet.
Superi dedisse sat videntur hunc virum,
Vt alter esset Mercurius, reconditis
In rebus interpres, fidelis, ac sagax.
Cuius sagaci ingenio, & admirabili
Sagacitati, & auspicijs dexterrimis
Quum Liliano pręfuit collegio,
Louaniensis debet huic Academia.
Primum quod illic maxima cum gloria
Bonæ docentur litterę, quas omnium
Primus sepultas excitat, primus colit,
Primus iuuentam plurima cum gratia
Terentianas perdocet comœdias.
Atq; huc profectum predicant quod undiq;
quocunq; te deflexeris, iam Græcula
Recantet Echo, quod sacræ abditissima
Linguæ silenter prodeunt mysteria,
Asserere sese studia pergunt optima,
Bonis, & amplis passim ouant stipendijs.
quod mille seclis exulans incognita,

Contaminata, sordidata, & obruta
Tum captiunculis, tum gryphis sophisticis,
Glossematis, & quęstiunculis friuolis,
Ne dicam ineptis, frigidis & impijs,
Vetus illa tandem rediјt & theologia,
Quam pro virili Dorpius primus docet,
Feliciterq; plurimi inde edisserunt.
Spartamq; nactus hanc adornauit probe,
Pro dignitate se gerens prouincię,
Quam cum decore plus satis prouexerit.
Mirumq; dictu, Euangelion vt maximo
Ardore semper docuit, ac vixit, quibus
Legit subinde plausibus Paulum, quibus
Instruxit illum scholiolis verè aureis:
Proinde semper vnice charus fuit
Tantumq; amatus, nemo quantum amabitur,
~~Magno illi ERASMO~~, siue quod iunctissima
Fuit necessitudo, siue quod fuit
Commune studium, siue quod medijs scholis
Erasmianam prędicauit gloriam,
Studium, laborem, industriam, modestiam,
Integritatem, animiq; dotes cęteras.
Tum literatis, tum probis, tum candidis
Semper fauens, semperq; pręsto erat omnibus,
Opem benigne suggerens pauperculis,
Studio occupatis opificio ue deditis,
Nec otiosos esse sustinens suos,
Subinde honestis occupat negotijs.
Amatus omnibus, omnibusq; amabilis,
Præter loquaci quàm gregi sophistico,

Et rabulis forensibus, quibus fuit,
Vt esse par est, semper infectissimus,
Laciniosos nil morans sermunculos,
Cui grata semper simplicitas, sed improba
Loquacitas nunquam viro cordi fuit.
Qui semper hoc sibi crederet negotij
Dari, vt theologos luderet sophisticos,
Pestem bonarum litterarum pessimam,
Varijsq; libris æditis incesseret,
Palamq; salsis defricaret scommatis.
Hic animus vsq, hic vnicus fuit scopus,
Hæc summa cura, hęc propria semper functio,
Bonas vt horas collocaret non male,
Nullius, ęque ac temporis parcus, rei.
Nimio proinde se studio secro serè
Conficeret imò funditus se perderet,
Commodus vt esset omnibus, haud incommodus.
Ne quem suis depingeret coloribus,
Aspergeret'ue quempiam labecula,
Traduceret'ue nominatim quempiam,
Licet impudenter prouocarent sępius,
Rubiginosis roderentq; dentibus.
Lippi, φίλωπι, putidi, morosuli,
Trucibus notandi iure Iambis optimo.
Homines malignos esse credas forsitan.
Ego esse miseros puto, quibus nemo placet.
Casus per omnes omnibus vsq exercitus,
Malis, & aduersis, patiens semper tulit,
Tuam vsq pręstans Socrates constantiam,
Prudentiamq; simplicem prę se gerens.

Vulgo laborans de secus meritis, bene
Semper mereri, & pro malis bona reddere.
Non arcuato scorpionis vulnere
Mordens, lacessens, conficiens, & enecans,
Contentionis abstinens, & litium.
Omnes in hoc neruos, & omnem industriam
Tendens, & adhibens, contrahens & explicans,
Facies in omnes versus, anxieq; omnibus
Studuit modis, vti nouas tragœdias,
Rabidos tumultus, atq; conflictus truces
Per litterarum hostes bonarum pessimos
Subinde motos, maximo discrimine
Sedaret, ac mox suauiter componeret,
Studijs vt omnes viuerent concordibus,
Omnesq; pace degenere gratissima,
Suosq; quisq; Marte satageret probe,
Peregrina, varia, vna, ficta, friuola,
Contentiosa, ac pestilentia dogmata,
Explosa sanctos per patres olim, quibus
Vbiq; vulgus imperitum fluctuat,
Itidem vt veneno exhorruit prę sentia,
Scriptis libellis plurimis doctissimis,
Adeo refarciens eosdem flosculis,
Salibus, lepore, schematis, sententijs,
Vt hęsites primum quid admittere ibi,
Fucata contra dogmata, quæ nunc omnium
Ruditum (quibus procliue sit diuendere
Fumum, affricare & pestilens contagium)
Ob ambulant, & iactitantur per manus,
Domus, tabernas, fora, scholas, conclauia,

Mox editurus syluulas perfertiles,
quas iam diu multumq; perpoliuerat,
Sed morte rapta prœcoqua illa industria.
Solidæq; sitiens glorię, & famę bonę.
Conatus ille non satis feliciter
Cessit, quod omnes nunc ferunt ægerrime,
Omnisq; doctorum omnium dolet chorus,
Mœstum parans epicedium carmen viro.
Extincta siquidem est illa sanctimonia,
Indignus orbis qua fuit corruptior,
Et illa vitæ integritas, quam non male
Deus inuidere visus est mortalibus,
Coniuncta virtuti illa fortuna vberi,
Acumen illud, illud ingenium sagax,
Dignum quod omni permaneret seculo,
Sed cesso plura conqueri, unum te mouens.

EPITAPHIA.

Licet viator concito properes gradu,
Tamen hoc amice te precor, quum hàc commeas
Tantisper hære dum, quod est suauissimum,
Gratissimumq; ijs, qui sepulchro indormiunt,
Nec adhuc quietis sunt recepti sedibus,
Sed vsq; & vsq; in igne purgatorio
Nunc vetera non sat piata crimina,
Confessa mystis, & remissa, cęterum
Soluta nondum, vt ipsa postulat ęquitas,
Grauis & priorum lerna poscit criminum,
Cruciatibus non estimandis expiant,
Animę sepulti hic Dorpij purissimis
Patrocineris precibus, ac refrigeres,

Deoq; commendes, vt huic sic omnibus
Vbicunq; putri conquiescunt in cauo;
Sensimq; edacibus vorantur vermibus
Lucem quietemq; annuat fidelibus.

ALIVD EIVSDEM.

Ecce sacræ columen scripturę Dorpius olim,
Iam cinis est, & de tam magno corpore restat
Nescio quid paruum quod non bene compleat vrnam.
Ast viuit totum quę fama perambulat orbem,
Et nullum moritura vigent monumenta per ęuum,
Nulla dies unquam libros memori eximet ęuo,
Semper enim scriptis, semper celebrabitur actis,
Semper erit uere uiuax, expersq; pericli
Gloria, doctorum celebranda per ora uirorum,
Quem prior est mirata, sequens mirabitur ętas.

M. ALLARDVS SCRIBEBAT.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRI*sij oratio in laudem Matthiæ Richili.*



RAECLARI, *quidem, sed grauiss. munus laboris, magnifice Rector, vosq; præstantissimi patres, in præsentia me video sustinere, In quo (quod optandum præcipue dicturo fuit) neq; copiam de amplissimis, neq; fidem de vulgatissimis rebus verba facturus desiderem, Verum hoc quod impleuisse summam mei voti videbatur, vel maxime nunc me premit ac vrget, quum enim hanc hominum cuiusq; conditionis ordinis atq; ætatis ornatissimorum doctissimorumq; frequentiam, quàm hic circumfusam uidetis, intueor, intelligo tantam esse Matthiæ Richili Rectoris designati, tamq; diffusam gloriȩ opinionem, vt quoniam neq; pro dignitate sua, neque pro vestra expectatione ipsam possim æquare dicendo, verear ne laudibus suis, quas augere debeo, nonnihil angustijs orationis meæ videatur esse detractum. Quid nanq; par, quid dignum tantæ eruditioni, tantæ humanitati, tantæ in omni genere virtutis excellentiæ vel eloqui possum vel cogitare? Quid præterea nouum afferre aut inauditum, quod non potius exploratum vobis sit, atq; perspectum, in vita præsertim hominis, qui quantus est, iam annum intra complexum (vt ita dicam) vestrum, est ea cum dignitate versatus, & tanto ardore ad ornãdum eum studia consenserunt vestra, vt credam honestiss mum vestrum illud de eo iudicium debere vel in pręcipua laudum suarum parte numerari?*

Virtutes igitur ipsius, quarum iam pridem in oculos omnium splendor incurrit, quia quo minus aperire possemus, ille occuparunt, conabimur tamen vtcunque dabitur recensere. Iuuat enim ipsum sibi ostendere, atque praeterito ex vitę tempore pulcherrime peracto ad reliquā futurę ętatis existimationem tuendā, paribus colendam studijs adhortari. Iuuat quoque gratulari & diligentiae vestrae, qui talem vobis pręficiendum putastis, & felicitati, quibus talis oblatus est quem pręficere possetis. Me vero, si quid tanta in re licet indulgere, ante omnia iuuat, pulchro splendidissimarumque rerum tractatu animum meum, & cui monitis his opus est, ad optimas artes excitare. Equidem quum Matthiae affluentissimus opes, quum ingenium, corporis & animi decus, quum suauissimos ipse mecum mores reuoluo, profecto is esse mihi videtur, in quo fortunam cum natura, cumque ambabus virtutem, tres potentissimas rerum dominas contendisse credam cuius ipsarum potissimum beneficij gratia teneretur, aut quę plenioribus ipsum muneribus manuque largiore cumularet. Cumularunt certe, & quaeque est officio suo functa, nec cui plus debeat facile discreueris. Sibi quidē haud dubie virtus ipsa plurimum debet, qui reliquarū blandidissimis delinimentis, quę seuera quoque ingenia solem auferre, pręteritis, solam dignam, quam omni opera, omni cura sequeretur & expeteret, existimauit. Hoc vero ad optima tendenti sibi in primis feliciter obuenit, vt non exteris monitionibus egeret, nō a longa vetustate repetitis, non per ignotas quę sitis gentes, opus haberet exemplis domestica gloria maiorumque suorum ad omnia honesta ductu, facile contentus, quamcunque vitae

partem sequi, undecunque erumpere & ingenij sui lumen proferre voluisset. Qua in parte transeo et auorum proauorumque laudes. (Neque enim mediocri quisquam oratione posset eas explicare) & vt perueniam aliquando quò hæc oratio nostra festinat, ipse mihi per proximos quosque gradus est apprehendemus. Vt autem à proximis ordiamur, offerunt se nobis viri duo equestris ordinis Ioannes & Henricus Richili, prudentissimi domi, militiæ strenuissimi patrui huius Matthiæ. quorum hic Henricum dico serenissimi maximique Imperatoris Federici aulam multis sequutus annis, ea tempestate quum imperator ipse ad Vrbem coronæ regię accipiendę causa proficisceretur, palatis ipsius fuit prefectus, Alter Sigismundi ducis Austrię nobilissimi viri, patrisque sui clientelam summa cum laude obiuit. Ambo fide prestantes, pacis bellique artibus clari, tantum apud principes suos decus sunt assequuti, vt non moderatione inter secunda, non prudentia inter ancipitia, non robore inter aduersa quisquam par ipsis haberetur. Iam vero Andreas Richilus pater istius, deus bone qualis vir, quanta in eo eruditio, quę virtus! qui medicas amplexus artes, quantum sibi ex illis opinionis pararit, vel hinc arbitror facile liquere, quod in sacro Constantiensi conuentu, iussus sit à Cęsare Aeneas Siluius doctoratus illum insignibus ornare, Idem Aeneę ipsius, id est Pij, quum Papa esset, idem Pauli quoque, idem Cęsaris inuictissimi medicus. Hunc omnes propè superioris Germanię Principes velut pręsidium quoddam & numen vitę salutisque suę colunt atque venerantur, vt quod de eloquentissimo viro

legimus, huic non incommode tribuerit quisquam, esse sibi par orbi terrarum ingenium, quippe cuius curę, cuius tutelę summa se diuinarum humanarumq; rerum commiserit potestas. Quod si id quoque putarem ad laudes prę stantissimi viri pertinere, & diutius rerum vilissimæ parti in humanę societatem glorię irripere liceret, commemorare possem domum paternis opibus auitisq; fundatam, pręter hęc ob summam erga principes viros obseruantiam maximis beneficijs auctam, pro vnius morbi nonnunq̃ depulso periculo mille aureos amplius'ue numeratos. Sed quid deesse sibi in tanta Imperatoris gratia posset? quàm pręcipue ex armorum insignibus, quę sibi contulit, Licet intueri, vt ipsum in decus familiasq; ornamentum, quantum proxime potuit, si adiunxisse visus. Verum non est mihi vir clarus ita laudandus, et ille quidem fluxa hęc esse nouit, atque sicut nõ esse fugienda, quum se offerant, ita nec quum habeas magnopere amplectenda, quumq; voluerint abire, infortunę sinus, unde sunt profecta, regerenda. Quid Georgium dicam fratrem Matthię iuris ciuilis pontificijq; doctorem peritissimum? Cuius si ingenij magnitudinem, si præstantiam eruditionis si admirabilem ęqui boniq; curã exequi parem, fieri non posset, vt eò quò tendimus, perueniret oratio. Quinetiam properanti mihi cunctaq; retinacula rumpenti, manum inijcit prensatq; Clemens frater istius alter, neque sinit vt sua se laude fraudem, Iuuenis eo decore, ea suauitate atque gratia, vt inter primos cubicularios Cęsaris habeatur, eique gratus in primis vnice que dilectus. Hęc quidẽ velut signa sunt pauca de multis, quibus ducibus iam domi suę tritum Herculis illud

biuium Matthias noster ingressus, plenum laboris, ple-num sudoris, ad virtutis iter, per aspera obstantiáque cuncta prorumpens, mollem illam viā blandissimosque pandentem sinus, reliquit, spreuit, effugit. Quumque sciret nobilitatem, cæteráque generis decora (vt sapientes autores tradiderunt) si per se consideres, ad titulos magis quàm ad rem pertinere, totis, vt aiunt, neruis contendendum statuit, vt & ipse quàm dignissimus his, & hæc ipso quàm dignissima viderentur. Igitur quum puerilibus studijs excessisset, possétque per ętatem animus concipere maiora, Imperatoriæ primum aulæ fuit illatus, quodque longissimis alijs assequuntur meritis, id quoque vltro est ei concessum, vt ministerio cubiculi Principis adhiberetur prima adolescentiæ rudimenta in regia orbis terrarum, vt maxima sicque sanctissima poneret, atque à tenero disceret nihil sine virtute magnum parari contrà vero cum ea, recte cuncta sperari. Ibi rebus omnibusque studijs, quę non modo ad ætatis illius commendationem, sed ad egregiam etiam futuræ gloriæ spem pertinent, incredibile dictu quantam beneuolentiam, quam gratiam, quę studia, circa se omnium excitarit. Nemo adeo fuit qui dubitaret, si arma sequi, militiamque, quemadmodū facturus putabatur, tractare cœpisset, futurum, vt quantum sibi dignitatis ex mitioribus his atque proinde meliori bus artibus accessit, tantum splendoris famæque ex illis esset additurus. Rerum nanque natura sic est, Proferunt se maturius magnarum rerum exordia, sicut & territura nos tonitrue densis adhuc septa nubibus, horridius fremunt, sic versura in sumentes hominum oculosque

virtus, pleniore statim gradu ad id tendit, ad quod omnes eam aliquando peruenire potuisse mirentur. Postea vero animum ad priora studia reflectens. quum sibi persuasisset eruditioni cuncto doctrineq; post habenda, missione rursus accepta, toto se ad philosophiam impetu uertit, vt quod intercapedinis à studijs fecerat, non modo nihil abstulisse, sed nouos velut stimulos alacrioresq; vires collegisse crederetur. Viennam ergo vrbem totius Germanię studijs clarissimam profectus, breui, audiendo, disserendo, meditando, eam de se prębuit opinionem vt & liberalium artium doctissimus haberetur, & omnium consensu fieret doctor. Hic autem vt patris sui, sicut bonorum, ita & gloria esset hęres, neue in tam pręstanti familia vllum sine exemplo decus maneret, quum diu secum multumq; reputasset qua potissimum se via tolleret humo, caputq; insereret astris, tandem sedit in animo medicinam velle complecti, cuius discendę causa doctissimam hanc petens vrbem, ea modestia, grauitate, dignitate se gessit, quam semper in eo vidistis, quamq; tam pręclaro, tam egregio donandam munere censuistis. Vnde igitur ordiar? quod initium sumam? quam'ue primum laudem ipsius attingam? Honestissimam'ne decoris gratiam commemorem? firmissimum robur dicam? tranquillissimam valetudinem narrem? Notiora sunt hęc quàm vt eis quicq̃ à nobis dicendo possit laudis afferri, & quę oculis malo uestris, quàm prędicanti mihi credatis. Tum quod hęc quę apud nonnullos populos naturę benignitate habentur, in Germano, vt magnis est autoribus visum, superiore pręsertim, vt ipse me blandius tractem, ius sunt potius naturę quàm munus

nus ipsius. Quid maximam ingenij vim, quid summam exequar doctrinam? quantus in dialecticis, quantus in physicis sit disserendo, sæpe ipsum audiendo, contráq; dicendo estis experti. Nam facundiam quam (vt verum fatear) in ipso ne magnopere suspicabar quidem, tantam in eo, cum nuper apud illustrissimum Principem diceret, ex expertus sum, quanta non modo in homine aliarum artium detento studijs esse posset sed quanta in multis, quorum hęc sola cura esse solet eruditis. Eam quoq; doctrinę partem, quæ rationem tradens bene viuendi, mores hominum mentesq́; ad optima instituit ac format, quis non planè fateatur hunc ita in animo tenere defixam, vt non didicisse, sed natus ad eam videri possit? Excute quæso verum. Considera in tanta erga ipsum fortunę benignitate summam continentiam, inter tam varia hominum ingenia omnibus acceptum, in hac ętatis insolentissima parte tamen mode rationem. Vide constantissimum inter difficilia, in magnis erectum, diligentissimum in minimis. Hęc quisquis perspexerit, audeat dicere quicquam sibi eorum quę ad pręcepta pertinent bonę integręq; vitę deesset? Iam occurrit nutrix illa rerum humanarum & vnica salus medicina, quàm, ne quid in futuram expectationem sui minuam, promittere malo quàm laudare. Audietis quotidie licebit interesse, congredi queq; & experiri licebit. Cognoscetis hominem qui vestræ per omnia satis faciet opinioni, spem, quinetiam omnium desideria superabit. Tum sciens verum hoc esse, honestas artes quecunq; se flexerint, cumulo rapi, & sicut arbusta quędam quę tenebris inclusa, vbicunq; patuit cœlum, toto se porri-

gunt trunco. Ita virtutem, quum bona fide animo se naturæ felicioris immersit, vno velut tractu reliqua secum studia prçclara proferre. Gaudeo me Hercule, atque si quid mihi creditis, & huius nostræ nationis, & vestro in primis nomine triumpho, tam felicia mihi cuncta, tam fausta proportio. quid enim hoc rectore poterit esse aduersi, si cum virtute omnia sequunda? Nemo in illo quicquam inconsultum metuat, prudentissimus est. Nemo insolentiam animi cogitet, modestissimus est. Nemo iniuriam timeat, çquissimus est. Benemerentes sua confirmabit humanitate, languidos excitabit industria, improbos seueritate compescet, videbitisq; hanc rempub. vestram omnibus numeris perfectam, & si quando recte, nunc rectissime constituam. Quod si quid longius prospicio, non tantum sibi vnius gratiam anni debebitis. quicquid ab integritate primæuç vestrç institutionis detraxit vetustas, restituet, purgabit quoq; quam longo negligentia partem vitia presserunt, eorum qui hunc post se gesturi sunt honorem mentem laudis, virtutumq; suarum accendent exemplo. Quis enim tam iacentis erit animi, quem non excitet? quis tam frigide ignauus, quem non inflammet tantus gloriæ subiectus stimulus? Fax tanti prçlata fulgoris? Continget hoc probitate ipsius pulcherrimum, vt eadem opera se maiorem, meliores alios fecisse dicatur. Ecquid ergo huius ornatissimi viri decus virtutesq; inclytas agnoscitis? Agnoscitis certe, atq; etiam pridem agnouistis, quum speciosissimo ipsum magistratu hocq; Rectoris insigni nomine dignati fuistis, quoniam id parum vobis videbatur, quod omnibus ante hac maximum fuit, nec satis putastis si soli-

tu, si vsitata acciperet, & honorem quem hoc anno sibi ne sperare quidem licuisset, qui tantis precibus, tãto ambitu impetrari solet, vltro volentibus propensis'que animis obtulistis. Detraxistis vobis iura vestra, vetustis'que priuilegijs cessistis, & seruatum tot annis morem, hæc (quę omnia) virtus sua perfregit. Laudandus ipse quod hæc meruit, laudandi vos qui digna meritis eius pręmia dedistis. Iam illustrissimo principi nostro Galeacio, Marię viro, qui hoc nostrũ seculum orbem'que terrarum gloria gestis'que rebus exornat, quã satis dignam orationem comparem, prorsus ignoro. Prudentiã ne mirer? Vt qui in tanto beneficio tam diligenter prospexit, vt id non nisi dignissimus haberet? An magis benignitatem laudẽ? qui quum merita viri tanto honori paria vidit, precibus vestris sine cunctatione concessit. Sed quis illi laudando sufficiet? Quis non modo veterum laudes splendorem'que prioris ętatis, sed ingenia laudãtium uires'que superarit. Te vero, Matthia pręstantissime, supererat vt admonerem, atque ad colendam iustitiam, res'que amplificandas tui ordinis hortarer, sed totum hoc superuacuum tua mihi integritas fecit. Audeo te tibi monitorem dare, tuis consilijs, diligentiæ, industriæ committere. An scilicet ego timeam vlla te parte arctissimam ęquitatis regulam transiturum? Facturum aliquid indignum te, aut à tuis moribus alienum, neue ab honestissimis uitę tuę rationibus aberres? Vnde hic mihi metus? aut quid de te mihi non debeo polliceri? qui me his omnibus pro te exhibeo sponsorem, improbe petiero vt fides meę velis habere rationem. Persuasum enim mihi est, quũ ego de aliena sim solicitus laude, fieri non posse vt tu quicquam de tua re-

mittas. Vides ex cuius viri quàm integri, quàm ornati manibus hunc suscipias magistratum. Vides quanti muneris hi tuis humeris imposuerint pondus, qui quum omnia debere se tuis virtutibus voluerunt videri, tu certe omnia illorum beneficio debes. Vides quantopere tibi sit illustrissimi principis dignitas tuenda, quanta enitendum cura vt ratio constet, & sibi, quod te alijs credidit præferendum, & tibi quod res non exempli & ante hac incognita, in te sit constituta. Vnum est quo satisfacere omnibus possis, vt tecum ipse certes contendasq́ᵹ, quum priuatus cuncta rectissime gesseris, ne non à te in tanto positus honore vincaris. Vos autem quos omnes gaudentes alacresq́ᵹ totis hic animis adesse cerno, tam optatæ diei nobis hodie præstate fructum lætum, & eum lætis festisq́ᵹ vocibus concelebrate, extollite, ornate. Virtutes amate viri, fauete laudibus, colite dignitatem, & eum quem tantis studijs, tanto consensu, in hoc ordinis vestri fastigio collocastis, obseruantia, diligentiaq́ᵹ vestra firmate, fulcite, vt quemadmodum initium vobis esse certamen, hinc vestrę beneuolentiæ, illinc virtutum suarum prospiciunt omnes, ita nemo sit qui cui victoria cesserit, prospitere possit.

DIXI.

Hanc orationem forte nacti cęteris adiecimus quod nihil sit eius viri, quamuis ex tempore, quamuis alieno stomacho scriptum, quod non diuinitatem quandam prę se ferat. Quo magis admiror esse qui lucubrationes illius vel premant vel perire sinant. Aliquoties durius vtitur pronomine. Id quoniam sciebam librariorum iniuria non esse commissum, mutare nolui.

DES.

~~DES. ERASMVS ROTERODA-~~

~~MVS~~ ORNATISSIMO VIRO IOANNI VLATTENO. S. D.



VOD *fatum, aut quis genius hanc malignitatem adiunctam rebus humanis esse voluit* Vlattene *charissime,* vt *quæ plurimis placent, eadem multis vehementer displiceant? Si*mul, *atque eodem,* vt *ita loquar, nixu nuper emisimus duos libellos, alterum de permutatione, alterum de* Ciceronis *imitatione, quorum ille sicuti neminem offendit, ita minus inuenit amatorum, hic quemadmodum auide distractus est, ita apud aliquot non mediocrem offensam incurrit.* Q*ueruntur alios silentio præteritos, quos non oportuit, alios secus attactos, quàm par fuit, alios infra meritum, alios supra meritum prædicatos.* Ad *argumentum quod illic agitur, sufficiebant veterum exempla septem, tantum abest* vt *statuerim omnium scriptorum nomina percensere, pręsertim quum hoc ipsum sit hic quasi* πάρεργον, *in quo si voluissem esse copiosius, merito poterat in me torqueri* Gręcorum *adagium,* μεῖζον τ'οὐπίσαγμα τοῦ θυλάκου. I*ustius, hoc nomine poteram ineptus* videri, *qui tàm multos recensuerim, quàm qui quosdam prætermiserim, ineptior multo futurus, si conatus fuissem omnium æstimare stylum, qui scriptis innotuerunt, quando quidem hodie tam multos habet* Germania, Gallia, Anglia;

Hungaria, Polonia iuuenes, qui possint eleganter, tum dicere, tum scribere. Vtinam ad pietatem tandem profectus accessisset. Cęterum quod neminem vel odio, vel obliuione prętermiserim, illud argumento est, quod quorundam quos & vnice diligo, & video quotidie, nullam feci mentionem. Noueram quosdam esse tam virginei pudoris, vt omnino in publicis scriptis velut è proscenio nominari non sustineant. Nam est prorsus histrionicæ genus, libros in vulgum ędere, quosdam adeo delicatos, vt nescias quomodo tractari debeant, alios tam feroces ac morosos, vt quomodocunque palperis recalcitrét. Iam si tantum laudassem quos nomino, & laudassem citra exceptionem, corrumpissem expetitum huius operæ fructum. Siquidem ex huiusmodi censuris magnopere proficiunt adolescentes, dum assuescunt omnes cum iudicio legere, tum quid in quoque vitandum sit, aut expetendum dispicere. Plurimum autem interest inter censuras & encomia, Iam hic erat huius recensionis scopus, vt anxius ille Tullianæ phraseos affectator, neminem omnium dignaretur honore Ciceroniani cognominis. Id tametsi sit sub persona Nosoponi, hoc est in parte parum sani iudicij tamen ne quem omnino offenderet negatus titulus, singulis multum laudis aspersi, eo temperamento, vt nec candorem in me quisquam possit desiderare, & quod cuiusque proprium est agnosceret attributum, adeo non maligne, vt nec hostium nomine sileam, velut Hutteni & Stunicæ, nec illos merita laude fraudem. Nam quod quidam stomachabantur Budæum parum honorifice tractatum, arbitror illos sui iudicij pœnitere. Nec minus impudenter mus-

ſabant quidam me Longolio ſubinuidere, quum vix à quoquam prædicatus ſit candidius, quanquam ille quę-dam aſperſit ſcriptis ſuis, quæ ſuſpicionem præbeant ipſum non admodum magnifice de meo ingenio ſenſiſſe, verum hęc iudiciorum libertas in viris eruditis nunquã offendit animum meum. Si recte iudicant, docent, ſin minus, humanum eſt vitium, nec ſatis dignum quod bonorum dirimat amicitiam. Optarim multos eſſe Longolios, qui luderent in oratorem Batauum, modo de diſciplinis ac religione Chriſtiana bene mererétur, quod illum egregie fuiſſe præſtaturum arbitror, ſi vita longior contigiſſe. Iam ne parum eſſet ponderis laudibus quas eruditis aſcribo fingo perſonam hominis egregie docti, qui cętera ſanus, tantum immodico Ciceronis amore deliret. Sed ò vitam hominis fugaciſſimam, ò rerum humanarum Euripum, aut ſi quid eſt Euripo volubilius. Dum hęc loquimur fugit hora, vt ait Satyricus, et dum amicos recenſemus, vnum non poſtremi loci amiſimus, Iacobum Vuimphelingum Sletſtadienſem, qui quidem inter felices numerari poterat, niſi ſenectus illius in hoc ſeculum multo turbulentiſſimum incidiſſet. Nam à teneris vſque annis educatus eſt in honeſtiſſimis literis, primum Sletſtadij ſub Ludouico Dringenbergio Vueſphalo, deinde Friburgi, mox Heydelbergę, pontificij iuris peritiã cum Theologię ſcientia non infeliciter coniunxit, et alioqui nullius honeſtę diſciplinę rudis. Eloquentię vero tantum pręſtitit tum in carmine tum in oratione ſoluta, quantum vel à Theologo, vel ab illorum temporum homine poſſit requiri. Aſcitus Spiram, Eccleſiaſtę munus non ſine laude geſſit. Inter hæc vir pius ardens

amore rerum cœlestium, eó𝑞𝑝 pertæsus seculi, quod teste Ioanne, totum in malitia positum est, de secessu cogitauit. Eius propositi consortem habebat Christophorum ab Vtenheim, doctum pariter & castissimæ integritatis virum. Atque vt nudus ad nudum Christum confugeret, quod erat Ecclesiastici census, erat autem quod ad vitæ mundiciem sufficiebat, resignauit. Cæterum hoc consilium abrupit Christophorus ad Episcopi munus retractus, amicis ita suadentibus futurum vt si ad mentem tam piam accessisset autoritas, plures Christo lucrifacere posset, quàm si se abdidisset. Ille tamen sua paupertate lætus, pergebat quod instituerat agere, rursus Heydelbergæ sacros autores enarrans, & in his Hieronymum. Ad hæc libellis æditis & adolescentiam instituit, et sacerdotes ad pietatis castimoniéq; studium excitauit. Nec grauatus est amore pietatis agere pædagogum, aliquot magnæ spei adolescentibus, quorum præcipuus nunc inter nobiles, doctrina, syncæritate, candore, prudentia, nobilissimus Iacobus Sturmis, cuius consilijs plurimum debet tota penè Germania, non solum inclyta ciuitas Argentoratum. Nec inuidia caruit hominis sancta libertas, Romam excitus est homo & senio & hernia tardus, monachorum Augustinensium opera, quod alicubi scripsisset, Augustinum non fuisse monachum, aut certe non talem, quales nunc habentur Augustinenses, quum hi tamen illum in tabulis ac libellis exhibeant promissa barba nigra cuculla & zona coriacea. Hoc incendium ex minima scintilla latius euagaturum, Iulij Secundi pressit autoritas, id𝑞𝑝 bonorum omnium applausu. Præter alias aduersi-

tates, quibus hominis virtus exercitata fuit, hoc fatale totius Ecclesiæ dissidium vehementer illum afflixit, ac tantum non ad vitę tedium adegit, Ita'q; solitudinem ac secessum frustra tentatum, ingrauescentibus annis egit Sletstadij in ędibus Magdalenę sororis, ex qua nepotes duos quos paterno semper affectu complexus fuerat, reliquit, moribus ac literis eleganter institutos. quorum Iacobus Spiegellius iuris prudentia clarus, prius Maximiliano Cæsari, mox Regi Ferdinando fuit à Consilijs, Apud quem nuper Ioannes Maius, natu minor, in fratris locum successit, aulæ primoribus indolis elegantia, ac dexteritate morum optimo iure gratissimus. Non dum tamen statui vtrum Vuimphelingi mors gratulatione, dignior sit, an deploratione. Annum attigit penè octogesimum: diutius etiam victurus, si corpusculi deficientis rationem vllam habere voluisset, & subductus est huic seculo, quo nihil fingi potest inquinatius. Postremo nihil addubito, quin vitę innocenter actę pręmijs iam fruatur apud cœlites. Sed vt redeamus ad id quod institueramus. Multo post ęditum Ciceronianum, comperi hoc ipsum argumentum fuisse tractatum tribus epistolis inter Franciscum Picum Co. Mirandulanum, & Petrum Bembum, quorum alter fusius disserit, alter haud ita multum à me dissentit. Negat enim se loqui, nisi de raræ felicitatis ingenijs, neque hic deterret à bonorum autorum lectione, sed ad vnius Ciceronis imitationem inuitat, atque adeo quod est difficilius emulationem. Mihi cum his modo res est, qui huic superstitioni sic addicti sunt, vt miro fastidio respuant quicquid dissonat. Recognouimus libellum emendatius, per

paucis locis, adiectis etiam nominibus aliquot. Qum enim pridem excuderetur: subito exortus ἀλαζὼν συκοφαντικός cursum & attentationem nonnihil interrupit, vt sunt quidam ad nihil aliud nati, quàm vt honesta conantibus facessant negocium, ipsi nullis occupati, preterquam aleę, scortis, comessationibus, & glorijs Bene Vale. Datum Basileæ nona Calend. Februar. Anno domini M D X X I X.

EPITAPHIVM IACOBI VVIMphelingi Theologi per Beat. Rhenanum.



Acobo Vuimphelingo Sletstadiensi viro clariss. et vnico puerilis institutionis ac profectus circa literas amatori, exhortatori, patrono. Cuius rei argumentum nobis exhibent, non solum ędıtus liber adolescētię nomine, & quē εἴσοδον inscripsit, ac elegantiarum linguæ Latinæ compendium, preter libellos hoc genus alios, verumetiā ipse scholę eruditis hominibus huius consilio passim commissę, qui quàm capitaliter luxum, auaritiam, & ambitionem oderit, frugalissime acta vita docet, & splendida sępe fortuna contempta, paruo semper contētus animus, sed & aduersus illa vitia graues libelli & ad oppositas virtutes inflāmantia scripta, apud posteros quoque testabūtur. Religionis Christianę pius cultor, quemad-

modum theologum & presbyterum in primis decebat, bonos viros etiam in cœnobijs degentes familiariter dilexit. Apud Spiram Nemetum in Regio. *illo templo aliquot annis munere concionatoris functus est.* Primus *sanè inter ciues suos, qui carmine & oratione prosa atque editorum voluminum numero in omni ferè scripti genere apud eruditos laudem meruerit.* Nam Hugonis *veteris* Theologi, *præter commentarios rerum sacrarum, & alterius* Ioannis, *præter* Ethicorum Aristotelicorum *expositionem, nihil hodie extat.* Iacobus Spiegellius *Ireconsul. &* Ioannes Maius *fratres,* Regij Secretarij *vtrique Auunculo* B. M. *statuerunt.* Vixit Annos. LXXVIII. *Menses* III. Dies XXI. OB. AN. M. D. XXVIII. *decimoquinto* Calen. Decembris. *Magdalenam matrem, fœminam planè Christianę patiētię, quam difficili morbo oppressam non modico tempore præstitit, eodem sepulchro (id quod viua optauerat ob amorem fratris) ijdem filij paulo post collocauerunt.*

IACOBO VVIMPHELINGO.

Hic Vuimphlinge iaces, longę post tempora vitę
Felix in patria contumulatus humo.
Inter auos tenerę qui dulcia munera linguę
Ornabas Latio *sedulus eloquio.*
Addebas morum reuerenda exempla priorum,
quàm nihil absque illis lingua diserta valet?
Nomine sic morum, linguę & pro ętate politę
Nullus Teutonico *notior orbe fuit.*

Ipse senex tandem senibus sua munera mystis
Tradis, quæ pietas religio'que docent.
Hunc partum ereptum genitrix fœcunda uirorum
Doctorum urbs merito Sletstadiana gemis.

~~Ianus Cornarius~~ *faciebat.*

Ἐπιτάφιος Ἰακώβου τοῦ Βιμφλίγγου.

Μειρακίων γλώσσας λειαίνων ἐνθάδε κεῖται
Βίμφλιγγος, ζαθέου θαῦμα μέγ' οὐ σεβίης.
Τόν γε θανόντα στενεῖ κλειὼ καὶ φοῖβος Ἀπόλλων,
Γνωμονικῶν ἀνδρῶν Σλεδστάδιόν τε πάτρις.
Αὐτοσχεδίως.

~~DES. ERASMV~~S ~~ROTERODA~~
MVS CLARISSIMO IVVE
NI CAROLO VTEN
HOVIO. S. D.



ERIVS *quidem nobis redditæ sunt tuæ literę Vtenhoui charissime, attamen multiplicem nobis uoluptatem attulerunt, primum quod iter de quo complures male videbantur ominari, te & corpore & re incolumi reddidit tantopere desideratę Italię, deinde quod Patauinam Academiã reperisti clarissimis professoribus, omni'que studiorum genere florentem, postremo quod duo pręcipua huius ętatis lumina, Baptistam Aegnatium,*

& Petrum Bembum, non solum videre, nosse & alloqui contigit, verumetiam quod inter multoris notę amicos ab illis ascitus, & in interioris amicitię penetralia receptus est. Declararunt enim Bembi literę *gratiarum & humanitatis plenę, quanti faciat indolem tuam.* Sic *enim in illis de te loquitur, vt meam commendationem veluti subtimidam ac plus satis verecundam reprendere videatur. Quo quidem nomine viro incomparabili profiteor me debere plurimum, sed tibi q: oq; non minimum, qui non diligenter à me commendatus, tua dexteritate prudentiáq;, commendatorem tuum multo felicius illi reddideris commendatum, cui non minus cupiebam esse commendatus quàm tu. quosdã enim commendasse periculum est, quosdam officium, quosdam ingens lucrum. Itaq; non tibi solum, sed & mihi, gratulor, cui per te contigit quod vnice semper optaui. Proinde nihil est mi Carole, quod mihi gratias agas, si quid ibi fuit officij, multo cum foenore retulisti. quin & ipse mihi factus es amicior, posteaq̃ talibus viris placuisti, quorum iudicium multo arbitror oculatius quàm meum.* Itaque *confido fore, vt nunquam te poeniteat aditæ* Italię, *quæ te nobis omni genere literarũ expolitum remittet. Quod scribis isthic studijs tranquillam esse sedem, vtinam sit perpetuum, at vereor ne* Gallici *belli finis, gradus sit alterius. quod me quoq; isthuc inuitas, serió ne an ioco scribas nescio, certe nusquam malim senectute fessus conquiescere quàm isthic, presertim expertus quàm istud coelum nobis sit innoxium. At ne nihil scias rerum nostrarum, è* Rauraco *factus sum* Brisgous. Territi *rebus subinde nouis, commigrauimus* Friburgum *idest oppi*

dum ditionis Ferdinandicæ, iter diei abest Basilea, habet Academiam non incelebrem, quam magnus ille Zasius, non minus sapiente eloquentia, quàm iuris prudentia clarus illustrat, multiq; sub eo suppullulant, præceptorem aliquando relaturi. Rex Ferdinandus qui tum agebat Spiræ, rursus magnifico sa'ario inuitabat Viẽnam, sed diffidebam huic corpusculo, nec sine magno metu relinqui nidum illum cui tot annos assueuerã, nullo tamen periculo. Nam hic valetudo cœpit esse multo cõmodior. Quis obsecro sparsit isthic rumorem tragicum, de calamitatibus meis, deq; morbo terribili? Non alij credo quàm isti qui me subinde efferunt. Vnde ista peruersitas in professoribus absolutæ pietatis? Cum agerem Basileæ, clamitabant me fauere sectæ, quàm ipsi vocant plusquam hæreticam, à qua si quid acerbi mihi accidisset, debebant martyrij genus interpretari, nunc quàm sint applausuri, satis declarant, quum vbi res abest, fingant sibi rumores atroces, quibus applaudant. Si talibus hominibus deus indiderit sanam mentem, existimabo maius esse miraculum, quàm viperam vertat in hominem. Nihil tamen proficiunt, nisi quod suis artibus magis innotescunt orbi. Hæc est illa æterni numinis, mirabilis œconomia. Sesquimensem præ me tuli propositum relinquendæ Basileæ, atque interim honestissimis conditionibus inuitatus sum à regibus, principibus, episcopis, viris doctissimis ad diuersas regiones, missum est à quibusdam viaticum, à nonnullis etiam munera, veluti perpetuæ beneuolentiæ pignora. Discessi clarissima luce, mærentibus etiam his à quorum dogmatibus ingenue dissidebam, & si redire libeat, veniam gratus, si

non omnibus, certe optimis quibusque. Hic *nullum est humanitatis genus quod mihi non offerat tum magistratus tum Academia.* Iam *& tuus* Ammonius *&* Audomarus *facundissimis epistolis, liberalibusq; promissis me inuitant in tuam* Flandriam. Carolus. Sucquetus *affinis tuus, relicta* Dola, *contulit sese ad* Biturigas, *illectus fama* Andreę Alciati, *qui magno quidem salario, sed maiore cum dignitate illic iurisprudentiam profitetur.* Alciatici *nominis suauissimus odor, complures egregios iuuenes eodem attraxit.* At *si verus est rumor, vereor ne non diu liceat eo viro frui.* Aiunt *enim pestilentiam ibi supra modum sęuire.* Apud *amicos dicere solebam, eximijs* Alciati *virtutibus parum respondere fortunam, quod tamen non arbitror infelicitatem esse, sed fatorum dispensationem, hoc agentium, vt vnus multorum animos inflammet ad honestissima studia, multasq; scholas reddat illustriores.* Iacobum Ceratinum *nobis ac literis pręprópera mors ademit.* Iam *erat parem in vtraque literatura facilitatem assequutus.* Accesserat *fortuna quę satisfaciebat illius animo.* Acciuerat *illum* Adolphus *Prínceps* Verianus *filio natu minori pręceptorem, mercede adeo non maligna, ut habuerit etiam qui inuiderent.* Sed *vt ait* Paulus, *habebat* Ceratinus *thesaurum in vase fictili, sicut ferè solent literis nati.* Nó *tulit delicatum corpusculum* Zelandici *cœli asperitatem.* Sic *nuper abreptus est* dorpius, *quum iam post diatribas illas theatricas uerus theologus esse meditaretur.* De*plorant hic multi tantum vigiliarum frustra insumptum.* Hi *mihi nihilo sapientius loqui videntur, quàm mulier illa quę deplorabat quod maritus innocens moreretur.*

Verum vt illi bene responsum est, satius esse innocentem mori quàm nocentem, ita istis iure responderi potest, satius esse doctum mori quàm indoctum, hoc est hominem mori quàm pecudem. quid autem honestius agi poterat quàm quod egit? Num igitur felices videntur qui vitam per luxum, somnum, & ocium transegerũt? In hoc sanè non cadit illa comploratio, quãtum laborum & vigiliarum perijt. Nihil enim egerunt in vita, sed hoc ipso tota illis vita perijt, quia nihil egerunt, nec omnino mortem illorum deflendam puto, qui perierint. Vita potius erat deflenda quę nihil à morte differebat. Vehementer doleo Megeram quę hactenus rerum publicarum status ac religionem misere turbauit, nunc etiam studijs suos colubros immittere, pręterq; naturam Gratias à Musis seiungere. In Gallis quibusdam plane candorem desiderare cogor. Subornant humilioris notæ versificatorculos, ipsi scilicet maiores quàm vt Erasmo indignentur. Nec defuerunt qui simili arte Alciato nostro facesserent negociũ. Non improbarem si Gallia cum Italia Germaniaq; decertaret de principatu eruditionis, modo absit amarulẽtia. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Post tot orbis tumultus, post bella, post cædes, post opinionum dissidia, post tot pestilentias, post rerum omnium & charitatem & inopiam, exortum est nouum & exitiabile malum, annis iam fermè quadraginta Anglis peculiare. Vbi quum primum grassari cœpisset ignotum, nec medicorum ars quicquã opis adferret, tanta vis hominum illic extincta est, vt vix crederes eã insulam, à tam multis incoli. Nec semel ortum, cessauit unquam, quamlibet aspera bruma, licet subinde re-

mittatur, scintillans duntaxat, rursus identidem sic incru descens, vt parcat nemini. Tanta lues nondum inuenit nomen, nec quod sciam, vllum efficax ab arte medica remedium hactenus repertum est. Intra suam insulam huc usque se ferè continuit, & in ea ipsa libentius attigit indigenas quàm exteros. Nunc aduerso Rheno demigrauit in Germaniam, incredibili celeritate intra paucos dies ab Agrippina Colonia ad Argentoratum vsque transilijt, non sine causa sollicitis omnibus ne latius diuagetur. Non aliud malum horribilius, nec contagio pernitiore, si quàm inuasit domum, vix vllum præterit intactum, nullo sexus aut ætatis discrimine, quum aliæ pestes eligere soleant, quos inuadunt. Quædam parcunt infantibus ac senibus, sunt quæ foeminas non attingunt. Habet tamen hoc boni, quod non excarnificat hominem diutius cruciatibus, intra duodecim horas, interdum intra pauciores aut tollit hominem aut certam vitæ spem præbet. Ad hæc placidum esse mortis genus, quale ferunt ex aspidis morsu sequi. Hoc habet parum ciuile, quod iterum atque iterum repetit relictum. Ioannes Coletus ter eodem tempore fuit eo correptus, ter reuixit, sed corruptis eo morbo visceribus, successit hydrops, qui virum meliore vita dignum cœlo transmisit. Atque initio quidem ipsa quæsita remedia vt fit, fuere exitio. Sudor est, sed igneus odorisque teterrimi, dicas ex amne Phlegethonte missum, ungues potissimum excruciat, alas ita comprimit, vt etiam si velis non possis attollere. Et hoc morbi beneficium est, nam aperuisse lethale est. Itaque qui feruoris erant impatientes, auram largius admittebant, hi ferè subito extincti sunt.

Rursus alij quum animaduerterent id compluribus infeliciter cessisse, dum in diuersam tendunt rationem, in idem tamen exitium inciderunt. Nã occlusis rimis omnibus, & excitato copioso igni, opertiq; stragulis, quo magis tutiusq; sudarent, æstu præfocati sunt. Præsentius tamen exitium adfert admissum frigus. Tandem reperto temperamento multo plures ab eo morbo conualuerunt quàm extincti sunt. Ea præcipua cura est apud illos, decumbentibus lintea sudore putria sensim subducere, vt ne laodices palliaq; moueantur, nec vllus ventus attingat ægrotum, mox alia munda & ad focum probe siccata simili cautione inducere. Nam id aliquoties fieri necesse est. Iactant quidam nuper repertum efficax huius mali remedium, quod cuiusmodi sit nõdum certum scire potui, certe vulgaria medicorum remedia nihil moratur tam præsentanea pestis. Angli in cautione quam modo commemoraui, præcipue salutis spem ponunt. Hæc ex eorum oratione didici, qui cum eo malo semel atq; iterum conflictati fuerunt, nam ipse nec adfui unquam laborantibus, quod tamen ad Christi sospitatoris laudem surdaq; Nemesi dictum uelim. Originem ac fontem huius mali nullus adhuc quod sciam nobis euidenter aperuit. Ex copiosis et corruptis humoribus oriri satis probabile est, eoq; putant eos qui crapulæ indulgent periculo esse viciniores. Ea re fretus Andreas Ammonius homo Italus & plusquam Italicæ sobrietatis, nihil ab vllo contagio sibi metuit, sed fefellit illum sua fiducia, correptus interijt, vir longissima vita dignus. Equidem arbitror Angliam huic pesti minus obnoxiam fore, si ædium solum mallent tabulis quàm scirpis habe-

re constratum, tum plures habere fenestras, quę possent cœlo salubri aperiri, nebuloso turbidoq; claudi. Nunc quam bona parietum pars vitrea sit, ac vix habeant fenestellam qua prospectus gratia caput proferant, situs quem gignunt scirpi marcescentes vix ventorum perflatu dissipari potest. In locis palustribus iuxtaq; fluminum ripas sęuit acrius, vt facile liqueat nebulosum aerem huius mali materiam & alimentum esse. Non dissimile morbi genus Plinius indicat olim gigni solitum ex melle venenato, quod potissimum nasci solet Heracleę in Ponto. Herbam esse candidam, cui ex re nomen ęgoletros, ex huius flore apes concipiunt noxium virus, non quouis tempore, sed quoties ver est humore immodico marcidum, alias innoxium conficitur. Hoc qui gustarunt, humi se abijciunt refrigerationē quęrentes, quando non solum ęstuant, sed & sudore torquentur. In eodē Ponti situ est aliud mellis genus, quod insaniam parit, unde & μενόμενον dicitur. Id uenenum colligit ex flore rhododēdri aduersus hanc calamitatem multa remediorū genera commostrat Plinius. Iam tot annis occupat orbem scabiei genus etiamnum ἀνώνυμον cuius curatio maximo omniū malo negligitur. Tot plagis subinde nouis deus nos inuitat ad vitę correctionē, nec tamen reddimur pilo meliores. Paucioribus malis olim percussi sunt Aegyptij. Phryges iuxta gręcorum prouerbium verberibus emendātur, nos omnibus Phrygibus duriores, tot afflictionibus, tam diutinis, tam insignioribus, tam nouis non emollescimus ad pœnitentiam sed velut è remedijs admotis indolētia collecta, pertinacius etiā erigimus ceruices aduersus medicantem deū.

Quod si quis à me petat remedium, nullum habeo melius, quàm vt quisque sic vitæ rationem instituat, quasi sit eodem die moriturus. Si nihil acciderit mali, profuerit metuisse, sin acciderit, non offendet imparatum. Si frustra metueris, hoc erit lucri, quod iam totus valeas, sin minus, recte illud prouisum est, vt melior nostri pars absit à discrimine. Bene vale. Datum Friburgi Cal. Sep. M D X X I X.

IACOBI CERATINI DE SONO LITERARVM, PRAESERTIM GRAECARVM *libellus.*

ALDI MANVTII, *de vitiata vocalium ac diphthongorum prolatione,* πάρεργον.

QVINTILIANVS LIBRO PRIMO.

An cuiuslibet auris est exigere literarum sonos? non hercle magis, quàm neruorum.

DES. ERASMO ROTE-

RODAMO IACOBVS CERATINVS. S.



NTER MVLTA ET *Varia munera, quibus ornauit deus hominem, atque ab alijs separauit animantibus, non in postremis ponenda est, loquendi facultas oratio, cuius quanta sit & vis & suauitas, perspicue cognouerimus, si consideremus, quantum nudus vocis humanæ sonus omnem excellat musicam, quam vel in flatu, vel fidibus, aut alia arte constare videmus.* Hic *vero quantum sit discriminis perspexerimus, si intelligamus omnia illa quantumuis suis illecebris demulceant aures, non esse, nisi adumbratam quandam imaginem soni illius, quem* vox *nostra syncera fundit, ad quem quanto accedunt imitatione propius, hoc iudicantur naturæ sensu perfectiora.* Et *quidem, cum is nullo adminiculo adiuncto sit* virtutis *tam efficacis, vt animum excitet, deprimat, incitet, reuocet, nunc gaudio, nunc mœrore, aliàs spe, metu aliàs impleat, & omnino tot afficiat modis, quot nobis affectus indidit natura.* Principio, *quid non faciat accedens eò vox certa com-*

prehenſione literarum & verborum libere quidem profluens, ſed tamen tanquam articulis quibusdam & membris diſtincta, & iligata neruorum vinculis? Deinde vero, vt non detur ſine mente ſonus, quid non efficiat eodem inſuper veniens ſententia orationis vita? Nam verba corporis, ſententias animæ locum obtinere dixerimus. Hinc ille modulatiſſimus cantus, qui feras, arbores, fluuios, duriſſima ſaxa mouiſſe, & voluptate delinuiſſe dicitur, cum primo regnare cœpiſſet. Hinc illa flexanima ſuadela, commodius Græcis dicta πειθὼ, *quàm non ſine cauſa rerum reginam vocauit Euripides. Huius diuinę rei, hoc eſt orationis, cum moderatrix ſit pronuntiatio, ea autem ſuos habeat ſonos, quorum naturam prima illa orationis elementa complectuntur. Age experiamur, poſſimus'ne aliquid inueſtigando conſequi, quod viam nobis aperiat ad cognoſcendum, quę literę ſit vniuſcuiusque natura, quę virtus, quę formandę vocis ratio, quę res ad perſpicaendam orationis naturam alioqui latentem, cum ſit neceſſaria, tum ſcitu eſt iucundiſſima, vt enim medicus citra anatomiā (quàm vocant) corporis humani & membrorum rationem cognoſcere non queat, ita nec orationis naturam ſatis habeas exploratam, niſi facta diſſectione quadam membratim primo ſingula inſpicias, deinde in ipſa prima reſoluas elementa. Tu vero* ἐρασμιώτατε *Eraſme, boni conſulas oportet, ſi amabilis tui nominis auſpicio in pręſenti abuti videamur, pręſertim quum id non faciamus, vt fieri ſolet, aut patrocinij libello ebladiendi, quum talem patronum*

non mereatur, aut noui fauoris mihi conciliandi, cum ve tus tuum erga nos studium semper fuerit vel nimium. Multo vero minus beneficij captandi causa, quando benignius mihi non semel fecisti, quàm voluntas mea tu lerit. Et *omnino tua in nos merita, maiora sunt, quàm sustinere possim*. Sed *ista de literis tibi literariæ rei principi, eo tantum offerimus animo, quo superstitiosa, sed minime ingrata vetustas* Cereri & Baccho *suas primitias consecrabat, tametsi crederet eos illarum non modo non indigere, sed vt authores etiam ac datores earundem veneraretur*. Bene vale. Louanij. Calen. Iulij.

IACOBI CERATINI DE SONO LITERARVM, PRAESERTIM GRAECARVM LIBELLVS.



VI AB ALIA, *quam Hebræorum gēte, originem accepisse literas existimant, longissime mihi videntur à vero recedere. quid enim huiusmodi rerum, aut non post additum fuit illi natiōi, aut ante primis illis generis nostri parentibus datū fuerat, non multo post conditum mundum, vt necessariæ artes, vsus vini, nauigij, legum, et similium. quod reliquarum gentium impietas non agnoscens, quiduis maluit, & quidem impudentissime ridiculéq; comminisci quàm veritati subscribere, ne vel sic dei nomen per ipsius dona, gloria illustrentur. quicquid est industriæ necessariæ ad vitam mortalium sustinendam id à primis parentibus, quicquid post accessit humanitatis & veræ elegantiæ, ab illis equidem credo deriuatum esse in cæteras nationes, nam eam gentem instituisse deum ipsum ad omnem humanitatem, et rectum cultum sacra testantur volumina.* Hinc tota *Asia excoli cœpta est, hinc* Aegyptus *literis & moribus erudita, hinc propagantibus se diuinis donis, vt fit* Græcia, *et reliqua tandem* Europa *cœpit ijsdem frui bonis, sed eorum authore minime cognito, donec ipse miseratus tenebras nostras, sese nobis, per verbum suum reue-*

laret. Sed iam rem ipsam inuecta origine aggrediamur.

A.

A Igitur, vt ordine, ita & soni præstantia elementorum est primum. Profertur arteria (per quàm vox omnis funditur) spiritum continente, ore figuram (quàm natura dedit) seruante immunem ab omni ictu, lingua pendula & leuiter reducta, alias quietem prorsus agente, per quàm sonus temperato nisu egreditur. Sed nunc breuiorem, nunc longiorem sonum accipit; quod & reliquis duobus accidit, quæ δίχρονα qua sibi temporea vocant; ι & υ, cum longum habetur, omnino absolutæ virtutis & sonantissimum est. Nam hic aperitos se liberius, & spiritus sursum versus, quo omnis sonus natura fertur, palatum petit sono productiore. Cum in breuibus numeratur, conciŕe magis pronuntiandum vnico spiritus ictu, arteria minus diu occupata. Hanc ancipitem naturam apud Latinos habent quinque vocales omnes, vt nunc breues, nunc longiores occurrant. Vocalium autem vt quæque est optima, ita soni existit expeditissimi, plenissimi, lætissimi, efficitq; vt os hilaritate quadam renideat. Bonitatem si spectemus, hic fuerit ordo, α, præsertim si longum sit, υ, ω, υ, ο, ε, ι. Apud Latinos, a, e modo producatur, nam breue, penultimum locum tenet, o modo longum, u, i.

B.

B Ordine quidem proximum, sed virtute remotissimum est, cum inter illa numeretur, quę ob soni inopiam ἄφωνα, id est, non sonantia siue muta nominentur. Est autem adeo impediti, & obscuri, aut potius

nullius soni, vt irrito conatu laboret dum exitum parat, & quidem frustra niteretur, nisi vocalis subueniret, quàm veluti inclusum & vinctum eripiat ac soluat, quo vitio & cęterę laborant mutę. Profertur summis labris, quę antea comprimuntur, vocale hęsurum alioqui, & ligatum sonum foras mittente, & vinculis liberante. Quantu hoc duritię aut mollitie fieri debeat opinor, colligi etiam posse ex duabus mutis φ & π inter quas est media, ratione συζυγίας. Qui censent mollius esse pronuntiandum Gręce quàm Latine, uideant quid pręscribant. Non aliter Gręce quàm Latine esse enuntiandum, ego vel Cicerone teste probaro, Is libro nono familiarium epistolarum, in epistola cui initium, Amo verecundiam, agens de vocabulis obscœnis, hęc scribit, Cum loquimur terni, nihil flagitij dicimus, & cum bini, obscœnum est, ex quibus verbis liquet eruditissimum illud Ciceronis seculum non secus pronuntiasse β Gręce quàm b Latine, nam bini, quo numerum significant Latini, & βινεῖ quod Gręcis obscœnum est verbum, ita pronuntiabant, nullum vt esset in vocibus soni discrimen, quanquam arbitror Latinum b proferri à nobis nunc paulo durius, quàm satis est.

Γ.

T Profertur, lingua excitante se versus interiorem palati partem, vbi obtusior quidam sonus retrorsus coire videtur. Ad eundem modum finguntur κ & χ, quę huic sunt σύζυγα, id est, coniugata, nisi quod aspiratione & tenuitate soni discrepant. Inter quę, γ, ut uirtutis, ita & soni est medij.

Δ.

Δ Profertur illidente se lingua suprema summo

oris cœlo, deinde illinc ſeſe reijciente & ſono præbente exitum circa dentes ſuperiores, ita vt primo imos, poſt ſuperiores dentes leuiter incurnata feriat. Idem fit in promendis θ & ϑ quę huic ſunt σύζυγα & naturę lege cohærentia. E.

E Inter vocales naturā non ita reſonans, ſegnius os diducit, atq; ictu circa arteriam fertur languidiore, ſuperiorem rictum aliquo modo deprimit, & vtrinque lingua in molares impingit. Cæterum, quia vocalis, nulla non eſt conſonante præſtantior, & literæ, non paulo plenior, quod & Cicero palàm facit libro tertio de oratore. Z.

Z Duplicem, hoc eſt duorum elementorum accipit ſonum, videlicet σ & δ cuius fingendi rationem, ex ſimplici eſt natura cognoſcere, niſi q̄ nimius ille ſuſurrus literę σ, hic temperatur, fitq; multo leuior, quod & reliquis duabus duplicibus contingit. Vnde fit vt tametſi σ inſuauē literam accipiant, ſoni tamen ſint, vt in ſuo genere, laudatiſſimi, nam ſoni præſtantis antecellunt omnes ſemiuocales, quæ inter conſonantes dignitate præminent. Porrò ζ inter duplices, quod & Quintilianus libro duodecimo ſatis teſtatur, iucundiſſime ſonat, adeo vt ſpirante illius ſono ipſa oratio veluti exhilareſcēs renideat, quod animaduertas in Zephyrus, Zopyrus & ſimilibus. H.

H Dignitate proximum eſt literarum principi α, quam tamen facile vincit ſi corripiatur. Exitum habet minime impeditum, & ſonum reddit æquabili tenore linguam quieſcentem tranſeunte, qui, quod ſoni proprium eſt, in ſublime, fertur, parcius tamen os

aperit quàm α productum, unde licet cernere diuersum esse huius sonum ad iota, & esse quidem prorsus alium ex M. Varrone intelligas, qui libro secundo de re rustica, docet capras & oues Gręcis fuisse dictas μῆλα, quod sonare videntur mee, duplex videlicet ee, quod quid esse dicamus nisi merum η? cuius rei ipsa etiam figura nos admonet, probabile est enim, primam eius figuram fuisse duo εε coniuncta loco istius quā nunc pingimus η, sicut in ω vsu venit, De sono nullum relinquitur dubium cum Latini semper in a vel in e lõgum vertant, idem demonstrant verba μηκάδες, idest capre & μηκᾶν, quae vox fictitia imitatur balatum caprarum, nam vt oues bee, ita capre mee potius videntur sonare.

Θ.

Θ Cum sit ex numero mutarum, nullam habet edendi soni facultatem, nisi vocalis labrorum & dentium claustra referet, fingitur vt δ, sed propter insitam aspirationis naturam, liberius linguam impellit versus dentium discrimina. In huius prolatione video quosdam anserinum sibulum, (quàm vocant) ambitiose nimis consectari, quem, quare magis hic requirant quàm in φ & χ, sanè velim audire. In vsurpatione vulgarium linguarum puta teuthonicae vel gallicae, idiotae solo naturae sensu animaduertere cernuntur, vbi, et quàm decore litere tenui τ aspiratione addere conueniat, quod videre liceat, conferendo scriptam eius generis dictionem, cum pronuntiatione, qua ab illis premitur.

I.

I Inter vocales postremae notae est, cum nulla sonum ędat exilem magis, etiam tum, cum producitur, quod

& Plato indicans, accommodam ait esse ad exprimendas res subtiles & penetrabiles, quod declarant, vt ait, ἴεναι, ἴεσθαι ac similia. Dum profertur, ictu quodam petit vltimos dentes, quos genuinos, appellant, nasciturq́ circa primores dentes collisio spiritus, neq; os multũ aperitur, neq; labra hoc pręstant, vt os illustriore & hilariore sono renideat, Quod Vergilius habens perspectum, Olli subridens dixit, non illi, cum subiuncturus esset ridendi nomen, à quo natura literæ ι est aliena. Hæc mihi causa videtur mutatæ literæ, si enim propter magnificentiam solum fieret, quàm postulat heroici carminis maiestas, quàm causam adfert Phauorinus Gellianus, cur istuc magis fiat hic, quàm in alijs: Huius autem literæ exilitas non ita est exanguis & tristis, vt non suo loco amœnitatis vel plurimum adducat venusta gracilitate, qua de causa apud Latinos non raro in locum e migrat acita.

Κ.

K Sonum concipit, eadem vt dictum est conformatione oris, qua γ tenuitate quàm postulat excepta. In triplici illo ordine mutarum, id perquàm pulchrum est & commodum; quod natura vnius literæ, puta intermediæ cognita, noris item reliquarum duarum, tenuis & aspiratæ. Hæc nostra tempora, nusquam magis, quàm huius elementi pronuntiatione discrepant, alijs ita proferentibus, vt interdum ad σ proximè uideatur accedere; non nullis sic, vt de sono ι, aliquid admixtum putes, quæ tamen prolatio, meo iudicio, concinnior existit superiori, & eam quidam amplectuntur lubentius, quod è gręcia qui nostro sæculo veniunt,

ita sonare videntur, quod, vt alicuius momenti esse fateor, ita negaro esse satis ad probandum, eum esse sonum legitimum, cum græciæ lingua, non minus, quàm italorum sit vastata & barbariæ contaminata. Ego naturam illius illæsam conseruari arbitror, si vbiq; pronunctietur, vt omnes id pronuntiant, velint, nolint, in ipso elementi nomine Cappa, vbi propriè vim soni exprimi perspicuum est, vt in κοῖλον, κόμμα, κάλλος, κράτος, *vbi proprietas soni adamussim obseruatur. Neque nos absterrere debet, quod latine cœlum, cœna, cingo, & eius generis plurima, sic proferuntur, vt in obscuro sit, nisi quis orthographiam teneat, sit primum elementum s an c, quando id fieri vitiose, non est opinor, qui dubitet.*

Λ.

Λ *Plenum dulcedinis & amœnitatis elementum, mira suauitate auribus illabitur, Profertur lingua pulsante palatum, ore satis rotundo & ad hilaritatem composito, labrisq; minime compressis, libere profluentem sonum fundens.*

M.

M *Compressis labris concluso ore sonum colligit in interiori eius parte, quem mugitu quodam non sine molestia extrudit. Infelicitas eius potissimum apparet, cum claudit dictiones, quod quum latina lingua nimis quàm sæpe patiatur, habetur & ipsa infelicior: Græca, cum in nulla dictione ferat, hoc etiam nomine censetur beatior. Huius elementi mugientem sonum fugientes poetæ latini curant id elidendum in carmine, sequente vocale.*

N.

N Citra laborum compressionem in oris interiori recessu fingitur, spiritu quidem petente nares, sed sono per oris exitum meante, quem iucundum habet; & in fine suauiter tinnientem. Quare græci linguæ mortalium felicissimi, hoc lubenter suas voces claudunt, quod latinis rarissime contingit.

Ξ.

Ξ E' duarum literarum, κ & σ, natura temperatur, ac sonum vtriusque, mixtum complectitur, quem adeo non habet contractum & ieiunum, vt vastior à quibusdam iudicetur. Eius fingendi ratio ex simplicibus colligitur, quàm vero sit non iniucunda auribus litera Attici testantur, exactissimi omnis elegantiæ iudices, qui sæpe repudiato σ amplectuntur, vt amabiliorem ξ, nam hic vt dictum est, susurum illum & feritatem facta temperata deponit.

O.

O Μικρόν ipso nomine naturæ suæ rationem indicat, etenim non tam est figura contractum, quàm sono non amplum. Dignitate antecellit, quantitate temporis sibi parem literam ε, estque soni lætioris, os enim recludit apertius, ictum vero circa arteriam accipit pleniorem.

Π.

Π Vt est natura elementorum, quæ ψιλὰ vocant, tenuem sonum sortitur, summis labris exprimitur, sonum non æderet, nisi vocalis succurreret hærenti, quod vitium & cæterorum quę ἄφωνα vocant, commune est omnium.

P.

P Secundum Platonem, est veluti instrumentum peridoneum omnis motionis. Profertur concitatius, lingua ad palatum iuxta dentes excitata, & summa sui parte, spiritum elisum vibrante, ictu quodam tremulo, tam horrifico sono auditum exasperans, quàm λ eundem soni dulcedine blandiens demulcet, & vt naturę est impetuosę, ita & masculi est roboris, unde & oris firmitudinem requirit.

Σ.

S Inelegantis & iniucundi habetur soni, sibilum potius anserum, serpentium, & similium animalium repręsentans, quàm humanę voci splendorem concilians, Vnde primi illi scriptores eo parcissime sunt vsi adeo vt teste Demetrio Phalereo odas totas videre licuerit, vbi nullum inesset σ. Profertur lingua sursum adducta ad palatum, cuius medio spatio spiritus fertur, & circa dentes exilem & angustum & quodam modo tristem sibilum expellit. Verum natura eius emendatur & tanquam mansuescit in duplicibus, ξ, ξ, ψ.

T.

T Vt cęterę multę, ori exhibet plusculum negotij. Quod & Lucianus significans inducit literam σ obijcientem τ, quod vinculis quibusdam vocem humanam intorqueat ac dilacerare conetur, pręter soni tenuitatem formatur vt δ, hoc elementum apud Atticos & Dores frequenter σ sua eijcit possessione, alijs quoque eadem licentia molestum, Vide Lucianum ludentem in iudicio vocalium.

Υ.

Υ Profertur contrahentibus se vtrinque labris, vbi sonus angustia quadam premi videtur, eadem ratione fingitur u Latinis, nisi quod dum coeunt labra fiant productiora non sine suauitatis iactura, cum υ multo spiret suauius, vt mirabile sit hanc dulcedinem, aut vix, aut ne vix quidem, sed potius nullo modo, percipi, dum nunc audimus pronuntiantes verba græca aut latina, quæ υ suo dulcissimo sono non vulgariter auribus commendaret, præsertim, cum in barbaris linguis eius pene natiuum sonum, placide fluentem frequenter percipiamus auribus, qua de causa in earum orthographia, ι græcum vt nunc vocant, passim occurrit, Ex hoc solo elemento Aristophanes in sua pluto totum conficit versum Iambicum trimetrum ῦῦῦῦῦ ῦῦῦῦῦ, quo tantum, vt ego quidem arbitror, gestum & per nares flatum exprimit, eorum, qui aliquid olfacientes, odoris genus exactius dijudicare & percipere conantur, quare clauso ore, naribus modo spiritum reuocantibus est efferendus, si tamen hoc est efferre, Et hoc qualecunque est, nonnihil faciat ad cognoscendam elementi naturam.

Φ. Χ.

Φ Et χ vtrunque noris, cognito vtriusque vel medio vel tenui elemento, non sis modo nescius accessionem fieri per aspirationem, quæ dignitatis quendam gradū addit. Ex mutis enim primum locum obtinent, quorum dignitas aspiratione amplificatur, proximum, quę medio inter tenuem & aspiratum sono promuntur, infimum, quę ob tenuitatem soni, gracilitatem quandam

præ se ferunt.

Ψ.

Ψ Duplex elementum π complectitur & σ, quibus non paulo resonat plenius & iucundius. Fit miro enim modo, vt facta mixtura, alterum alterius sonum commendet, id etiam boni accidit ξ & ξ duplicibus.

Ω.

Ω Μέγα primo penè aspectu hominem trahit in sui cognitionem, figuræ magnitudine, unde nomen habet; quàm æquat soni amplitudo. Figura duo oo repræsentat, pronuntiatio tantundem soni commixtum promit. Prima figura à qua nimium hactenus recessit, videntur duo oo coniunctius posita esse in utroque circulo supernè clauso, ad quem modum etiam nunc à nonnullis effigiatur, quod eò dico, ne quis dubitet, contineri hic simplicis o geminum sonum. Profertur ore rotundo, composito et decenti labrorum habitu, spiritu ictum reddente circa oris extremitatem; sono, quem habet magnificum collecto in altiori oris recessu. Et vt ordine postremum est, ita virtutis præstantia tertium sortitur locum, nullum enim elementum post x longum & η felicioris illo & plenioris soni habetur.

Hactenus, res dum persequimur subtiles adeo & minutas multorum vt fallant oculos, subsidio vsi sumus eorum, qui olim in his explicandis magno studiorum fructu versati sunt, cum aliorum quorundam, tum maxime elegantissimi Demetrij illius Phalerei & Terentiani, quibus nescio uiris quid queat inueniri acutius. In hoc quidem genere diphthongorum rationem (quod superesse videtur, tractandum susceperimus lu-

benter) si quid extaret, quo possemus aliquo pacto, mentis aciem & cogitationes conuertere, ceu nautę suum solent cursum ad cynosuram aut elicem sydera dirigere. Neque enim sapientis esse iudico, duce nemine hoc ingredi pelagus. quanquam quę diphthongorum ratio, qui sonus debeat esse, facile intelligitur, ex vocalium, unde conflátur, natura. Vetustissimos illos duarum vocalium sonum vna diphthongo expressisse, ipsa nominis ratio abunde satis declarat. Succedentes ętates an idem obseruarint, equidem addubito, pręsertim cum videam Ciceroniano tam docto seculo diphthongum ει non suis se pronuntiatam, vt diphthongum conueniebat, sed vt I tantum, quod luce clarius cernas apud Ciceronem, eo loco, quem in litera β abduximus in dictionibus bini & βίνει. Cumq; ex Aulo Gellio intelligamus eandem diphthongum in dictione treis & similibus nihil nisi, sonuisse ex grę corum autem diphthongis, quasdam proferunt sua lingua, & quidem pleno sono galli & germani tam inferi quàm superi, non tam disciplina, quàm naturę sensu captantes, quod aures afficiat & impleat.

Porrò syllabę, literarum è quibus connectuntur, naturam concipiunt, adeo, vt inter breues, aliam contingat alia breuiorem fieri, pro literarum numero è longis. item aliam alia propter eandem causam longiorem, secundum quàm varietatem, sonorum etiam nascitur diuersitas, nam additis vel detractis literis, soni non tantum crescunt, aut diminuuntur, sed & vel duritie & asperitate horrescunt, vel mollitie & lenitate dulcescũt, sed hęc exemplo diluc ademus. In verbo ὀδός, o breuis est

syllaba,

syllaba, accedente ρ, fiat ῥόφος, manet qualis ante erat, adijciatur insup̄ τ, & fiat τρόφος, breuis adhuc manet. Super addamus et tertiam literam σ, & fit στρόφος, vbi syllaba ꝑmanet breuis, tribus incrementis quę manifeste auribus ꝑcipimus acceptis. Eadē tibi ratione crescet ꝑ gradus longa, vt longa est syllaba ἦν, crescit, si dicas λὴν, fiat πλὴν, & postremo σπλὴν, magis atq; magis non modo literis, sed & sono augebitur. Hęc, vt & omnia quę de literis diximus eò spectant, vt rebus studeamus, quę propria eloquētię laus est verba accommodare, vt enim nihil est ineptius, q̄ in sublimi dicendi genere, verbis vti humilibus & abiectioribus, in humili contrà, sonantioribus & grandiloquis, ita absurde fecerimus, si non, tractando res lętas, verbis vtamur splendidioribus & natura hilarioribus, si tristia contrà prosequamur, non obscuriora et minus ad iucunditatem apposita usurpemus, quibus neglectis nec ipsi elegantiorem autorem ad plenum capiemus, nec dicere quicquam dignum eruditis auribus poterimus. Atq; hic quidem est scopus et usus, si quem ista iuuabunt, fuerit huius, qualecunq; iudicabitur, opusculi, cui nihil eoꝝ attexuimus, quę ex Prisciano adduci posse videbantur, Primum, compendij studio & quod satis ille sit studiosis familiaris. Deinde, quod de ad illum ire cupiamus, sij sint, qui plura desiderent quibusdam de literis Latinis, Illud vero quod habet de vario eiusdem vocalis sono, pro quantitatis accentus, & spiritus diuersitate, vt singulę vocales, decem aut plures accipiant sonoꝝ differētias, illud in q̄, pulchre conuenit, & conferendum duco, cum ijs quę paulo ante de syllabis, Demetrium sequuti, tradidimus. FINIS.

IO. FRANCISCI QVINTIANI Stoę, de prolatione literarum.

A *sub directo memorabilis oris hiatu est.*
B *simul inclusis profertur utrinque labellis*
C *linguam adpulsos compellit ad usque molares,*
D *cogit superos linguam contingere dentes.*
E *paulum pressa profertur gutture lingua.*
F *labrum inferius superis cum dentibus urget.*
G *damus extremum quum tangit lingua palatum.*
H *oritur tractis quum uentus faucibus halat.*
I *linguam impellit collidi dentibus imis.*
K *fauces formant media cum parte palati.*
L *facit extremum contingens lingua palatum.*
M *quum fit pressum premitur per utrunque labellum.*
N *lingua adpulsa collidit litera dentes.*
O *uenit, exoritur quum spiritus ore rotundo.*
P *datur eruptis ter litera quinta labellis.*
Q *fit in adpulsu quum stringimus ora palati.*
R *facit ut supero crispetur lingua repulsu.*
S *quum fit peragit colliso sibila dente.*
T *linguam impulsu constrictis dentibus exit.*
V *facit os strictum, sic promula labra fatigat.*
X *reddit quicquid c, atque s, formare uidemus.*
Y *apprehensis labris procedere iustum est.*
Z *sepulchrales imitatur concita dentes.*

ALDI MANVTII,

DE VITIATA VOCALIVM AC DIPHTHONGORVM PROLATIONE, πάρεργον.



OC LOCO NON *Videtur Silentio prætereundum, quod de* αι *diphthongo hic scribitur his verbis*, ἡ γὰρ θέσει μακρὰ ἐλάττων ἐστὶ τῆς φύσει μακρᾶς. ἐπεὶ καὶ α τὸ φύσει μακρὸν μεῖζόν ἐστι τῆς α διφθόγγου τῆς ἐχούσης τὸ ι ἐκφωνούμενον. ὁ γὰρ τριῶν ἔργον δύο στρατιωτῶν, ἰσχυρότερόν ἐστιν ἐκείνων. *Quandoquidem vel hinc colligi potest, ætate nostra, & maiorum ab hinc annos octingentos, ac plus eo, perperam diphthongos omneis, & pronuntiari, & pronuntiatum esse, præterquam* αυ *&* ου *apud Græcos. Nam apud nos & illas perperam. Si enim* ι *in* αι *diphthongo* ἐκφωνητέον, *vt supra est scriptum, videlicet* α *natura longum maius esse* αι *diphthongo, quæ* ι *quod pronuntietur, habeat, perperam, ac barbare eam nunc proferimus, cum* e *legimus. Nam &* α *&* ι *in ea sonum habere suum debent con-*

fusum in vnam syllabam, vt ab α *incipias, & in* ι *desinas, quemadmodum in* αυ *&* ευ *diphthongis facimus. Præterea diphthongos omneis proprias hoc modo pronuntiandum esse, patet ipso nomine,* Diphthongus *enim dicitur, quod duos* φθόγγους, *hoc est sonos & voces habeat, id quod &* Terentianus *ait his trochaicis,*

Porrò vocalem secuta, vim tenet vocalium,
Et sonos vtrosque iungit, unde diphthongos eas
Grçciç dicunt magistri, quòd duç iunctç simul
Syllabam sonant in vnam, viq; gemina prçditæ.

At si αι *e,* οι *&* ει *i, &* ου *u legas, vt nunc barbare legimus, non diphthongos, sed monophthongos pronuntiando facies, cum sonum vtriusq; quæ in diphthongo propria est vocalis, iungere debeas in vnam syllabam. Nam* ι *in* οι *diphthongo propria* ἐκφονούμενον *dicitur à grammaticis, contrà* ἀνεκφώνητον *in diphthongo impropria. Atqui si* αι *e sonat, nec* α *nec* ι *profertur* ο υ *etiam in* ου *diphthongo* ἐκφωνούμενον *quemadmodum in* αυ *& in* ευ *diphthongis, esse debet, vt ab* ο *paruo incipias, & desinas in* υ. *Sonum autem* ου *diphthongi id est u, vt nunc male pronuntiamus,* υ *vocalem apud antiquissimos habuisse existimo. Signum est, quod nunc quoque, quod Græci* δύο, *nos duo dicimus, & quod illi* σῦς, μῦς, θύλη, ῥώμυλος, *nos sus mus, Thule Romulus dicimus, & alia id genus sexcenta. Eodem modo* η *&* ω *&* ε *&* ο *non rectè pronuntiamus. Nam* η *&* ε *proximum, ac penè eundem sonum habere debent, hoc est* ε, *vt* η

proferas clarius, & sub palato, ι vere minore sono in gutture. Exempli gratia, vt η proferas vt e latine loquens in dictione debes. ι vero, vt e in dictionibus hisce vulgaribus, che dice, che pane mangia, che vino beue, cum barbare loqueris, vt nunc vulgus. Sic ω magnum proferendum, vt in dictione bono cum latine nunc loquimur. Nam apud antiquos nostros o breue & o longum non eundem sonum habuisse existimo, o vero paruum, vt o in eadem dictione bono, si vt vulgus dixeris, e bono homo, &, mio amico. Sic eas literas pronuntiari debere Terentianus præcipit cum dicit,

Literam namque e videmus esse ad ητα proximam,
Sicut o & ω videntur esse vicinæ sibi.
Temporum momenta distant, non soni natiuitas. η

præterea non i sed e longum sonare debere, ostendit etiam Eustathius, in Homerum, inquiens. Βῆ μιμηρὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς, Idem Βῆ βῆ φωνῆς προβάτων σημαντικόν. καὶ φέρεται παρ' Αἰλίῳ διωνυσίῳ χρῆσις κρατίνου τοιαύτη. ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει. Oues vero non ui ui, vt nunc βῆ βῆ barbare pronuntiamus, sed be be balant, & est balant pro pro belant à βη, mutatione η in α doricæ, vt μήτηρ mater. Vnde & id colligimus, β sic pronuntiandum, vt b apud nos profertur, non vt u consonans, vel f digamma Aeolicum. Alpha igitur & beta & Græcis ipsis dicendum, vt nos dicimus, non alpha, & vita. id, quod ex Hebræis acceptum est, qui Aleph & Beth, non vith dicunt. Sed de his in Fragmentis

nostris longe plura. Vbi etiam γ, κ, λ, ν, sequente ι vel υ vel ει vel οι, perperam à græcis nunc pronuntiari ostendimus, sicut apud nos, & diphthongos omnes, & c & g, sequente i vel e & ti sequente vocali.

FINIS.

M. ANTONII SABELLICI, DE LATINAE linguae reparatione.

Dialogus.

PERSONAE.

IVLIARIVS, SABELLICVS, SAVARISIVS.



IC CERTE RES habet, vt tu praedicare soles Sabellice, aut unae sunt hodie in toto orbe Venetiae, aut nulla vrbs alia, quàm splendore & opulentia huic praeferre possis. Nunquam huc accessi (accedo autem sępissime) quin ipsa ciuitatis facies mihi maior solito occurrat, ac quodammodo admirabilior, Quod cum plerique alij sibi euenire aiunt, tum Iuliarius hic noster, quem vix hodie à prima luce ad tertiam diei horam à germanico emporio, dum omnia mercaria via per otium cupit explorare, ad publicij pontis bibliopolas traduxi. Vbi quia neque hortatio neque conuicio inde auelli potuit, librorum indicibus haerentem à me relictum ad multam diem, quod vix unquam euenturum putassem, quum ex foro me ad priuatum hospitem reciperem, eodem penè vestigio stantem, sed adhuc magis

ocupatum offendi. SABELICVS. *Habet id vrbis genius Sauarisi, augetq; non parum amplitudinem & formam ipsam incredibilis rerum omnium apparatus. Cuius tam magnitudo quàm varietas nouum semper aliquod primo intuentibus obijcit spectaculum. Sed dicat* Iuliarius, *qui hodie (vt ais) refertissimam excussit bibliothecam, an in tanta nouorum scriptorum copia, quanta paucis annis in his studijs emersis, aut locupletior quę antea sibi Latina lingua, aut emendatior facta uideatur.* IVLIARIVS. *Sunt non pauci (ut dicis)* Sabellice, *qui alia atq; alia uia* Romanas *literas nuperrime iuuere, nam preterquam quod omnia ferè emendatiora occurrunt, non desunt qui quotidie aliquid noui in communem usum proferant, quæ & si non sunt talia, ut iacturam illam, quàm nostrę literę* Gothica *tempestate fecere, omnino resarciant, leuant tamen inopiam & egestatem, quàm dira illa calamitas Latino nomini attulit. quod malum ita uiolenter omnia inuaserat, ut à clade illa, longe uetustissima ęgre ad hos annos respirare sit datum.* Aliquid igitur *effecerunt nostrorum temporum uiri, per quos si non rem ipsam umbram tamen & uerum latinitatis ad huc nomen retinemus. Siquidem horum ductu & auspicijs* Romanus *sermo omnem exuit squalorem, omnem barbariem, quibus sordibus diu fuerat immersus. Soleo idcirco me beatissimum putare, ac naturę gratias agere quod hac potissimum tempestate nasci contigerit, qua, si non linguam ipsam florentem, ut olim, aut qualem ętas illa aurea, qua tot uiri summi unà claruere, posteritati tradidit, meliorem ac quodammodo*

omni ex parte instauratam uideremus. SAVARISIVS. *Resartam potius Iuliari, instauratam ne dixeris, quod neque tu, neque ęqualium quisquam, & ut audacius dicam, ne mortalium quidem ullus uidebit unquam; sunt, quis non uidet, humana omnia in lapsum prona, sed qui in melius mutentur, difficillima.* IVLIA. *Recte quidem ista Sauarisi, sed quo nomine successus hic literarum appellandus sit, quum maius olium nacti erimus, licebit cognoscere, nunc illud abs te uehementer cupio audire, imò discere potius Sabellice, quod & huic quoque Sauarisio erit non ingratum, quid cuique eorum, qui recentissimis temporibus Latinam linguam iuuere debeamus, si quidem alij alia in publicum usum contulere, quę siquis ęqua, ut dici solet, lance expendisse uolet, haud omnino similia, sed alia alijs prępondérare fateatur necesse. Verum qui hęc te uno melius diligentius'ue ęstimare possit, est nemo, quippe qui & ab simultate omni & ambitione longe abes, nec facies (ut plerique) qui penè prius oderunt, quae legenda traduntur, quàm viderint, quin omnium indifferenter laus, aequae ac tua est tibi cordi, quò fit vt nullius iudicio vt pro Sauarisio dispondeam; simus libentius acquieturi.* SAB. *Callide me hercule vt solet, Iuliarius, blandoque verborum ambitu insinuatus experiri voluit, postea ne me in ridiculum aliquod facinus impellere, vt fabulosum illum phrygij Aesopi Asinum imitatus, leoni sua pręmia decernerem, scilicet, vt quum multos vno tempore in me concitassem, non forte male multatum videret.* IVLIARIVS. *Quid multatum ais, an Aristarchus & Aristophanes, qui non so-*

lum aliena scripta attentissima examinarunt cura, sed quosdam etiam poëtarum numero exemerunt, aut M. Tul*lius, aut* Fabius *qui nihil diuersum apud nos fecisse videri possunt, risu digni, aut odio sunt habiti.* SA. *Imò ob id ipsum fortassis Græci illi quorum mentionem fecisti, plerosque sui temporis poëtas silentio prætertie, ne maior ab illis postea manaret inuidia, quod nostros quoque in quibusdam fecisse, ex eorum scriptis facile intelligi potest.* At *mihi id nullo modo contingere posset, quando eorum de quibus futurum est iudicium, plerique adhuc sint superstites.* Eleganter *quidem & accurate* Cicero *vt cætera, multorum scripta in suo expendit oratore, sed in duorum sui seculi grammaticorum altercatione, dum eorum alterius declinaret inuidiam, iudicium in iocum vertit.* Nec Fabius *minus prudenter, qui scriptores suorum temporum phamam iubet expectare, quod quum ita sit, non est cur nostram vllam de ea re sententiam expectatis.* At *possum, quoniam tanto studio id requiritis, & vacat (vt dicitis) audire, gratissimum vobis de hoc ipso sermone referre, quem duo viri illustres hoc anno multis præsentibus in vestibulo curia habuere.* Erat *tum forte* Venetijs Baptista Guarinus, *homo (vt scitis) multi nominis, vesterque, ni fallor, ciuis, venerat is cum* Alphonso Herculis Estensis *filio, qui à patre officij gratia fuerat ad* Augusti. Barba. Princi. *& senatum missus.* Ita *igitur accidit, vt eo tempore quasi de industria plerique docti viri patritij ordinis vnum in locum coiuissent, & in his* Hermolaus Barbarus, Hieronymus Donatus, M. Dand. Sebastianus Priuolus, Nicolaus Lipananus, *qui non*

multo post in Romanam curiam concessit; Daniel Rainerius, & alij non pauci præter philosophiæ studia humanarum etiam literarum vehementer cupidi. Aderat & Benedictus Prunulus, homo impense doctus, qui trigesimo & amplius ab hinc anno publice in hac vrbe est professus; Tot viri tum forte in vestibulum curiæ conuenerant alij alia credo de causa, eratq; iam coeptus haberi sermo de his qui recenti seculo aliquid in communem latinæ linguę vsum edidissent, quum illis & ipse diuersum negotium secutus superueni, erantq; mecum nonnulli nostratium literarum sanè studiosi. Hic ego ab vniuerso cœtu familiari vultu acceptus, quia de re literaria sermonem haberi non dubium erat, placuit his quę dicerentur interesse. Primas igitur ad dicendum Prunulus sortitus erat partes. Vnde vero sermo esset ortus, non libuit requirere, satis habui, quod illi tum primum instituto opportune affuissem. Sic igitur ea quę tunc vir ille ornatissime ac disertissime de Romanę linguę reparatione est locutus, quęq; postea eo petente à Baptista, Guarini filio, in eandem sententiam breuiter & accurate disputata sunt audire vultis, vt diligentius potero, subijciam, nam quid ipse de ea re sentiam, neq; vos (vt dixi) requirere oportet, neque expectare. IVL. Iam vero istud ipsum quale sit vehementer cupimus cognoscere Sabellice, quum ob eorum qui ob illa disserunt precipuam autoritatem, tum quia nisi tu probasses, nullis adduci precibus potuisses, vt relatu digna iudicares perge igitur si placet, & quod tantorum hominum sit iudicium, fac precor intelligamus, nam

quod ad nos attinet tam libenter ista ex te audire para ti sumus, quàm si illos ipsos, qui de ea re disserue runt, audiremus.

SABELLICVS.

INcipiam ego quãdo ita placet amicorum optimi ac primum omniũ illud dicam, quod me maxime in Prunulo delectauit, vsum fuisse virũ illum, vt natura est non infacetu, faciliq; ad omnia excogitanda ingenio, translatione in dicendo valde rei accommoda ta, quippe qui in hunc fermè modum sit exorsus, vt di ceret videri sibi ea, quę Romani Senonico dicuntur bel lo passi, simillimum quendam habuisse exitum huic, quem literæ post longissimum annorum circuitum fuis sent sortitæ. Disiectis inquit ad Alliam fluuium Ro manis legionibus, in pręceps omnia abiere, non dux vllus, non imperium adesse, non arma, non circa vr bem præsidia quis vissimi hostis impetum distinerent, quin repente omnibus solutis, nihil ex tanto nuper im perio pręter umbram nominis ac collem vnum cum mo dico pręsidio superfuit, pauci seniorum, qui ab superbo & irato victore sunt in rostris reperti, ferro occubue re. Cęteri sine imperio, sine nomine disiecti, procul patria, procul penatibus, vagi, deuij, extorres, sine cultu, sine hospitio errare. Sęuire interim galli, tecta incendere, parietes disturbare, nihil sanctum, nihil inta ctum relinquere, minari Romano nomini excidium ac simul intentare, mutari icirco rerum omnium facies, nihil ex tam potenti nuper populo nisi nomen superes se. Barbari omnia publica, omnia priuata pręter arcem possidere. Deploratam vulgo crederes rem Romanam;

nullam rempub. nullum imperium in ea vrbe amplius futurum. Instare *dira barbaries, capitoliumq; cum arce totis viribus oppugnare, fuisset; demum voti compos, nisi paucorum virtute res propemodum perditæ, non solum suo retentę essent vestigio, sed in pristinam etiam statum restitutæ, his tum malis* Roma *defuncta est.* Sed longe *foedior clades, longeq; atrocior, quæ rem* Romanam Gethicis *temporibus postea adorta est, ibi tum publicæ & priuatæ fortunę periclitari dicuntur, hic, cęteris amissis, sermo quoq; quo nihil deus immortalis homini vtilius dedit, ad interitum perductus.* Maior *itaq; recens casus, atq; tantò lugubrior, quantò* plures *gentes quàm vetus ille attigit. Enimuero vnius tum populi fortuna lapsa est, his vero diris temporibus, quicquid* Romanis *ipsis cum* Italia *erat & multis gentibus commune.* Fuit *populus ille ferocissimus, pluribus olim gentibus infestus, multis perniciosus, ac sermo omnibus vtilis & iucundus, atq; ob id longe charissimus,* Vltra *igitur ruina maior, hęc, qua tot gentium bona, tam nobile commercium, tantam eruditionem, tantam humanitatem miserabili modo obruit, an illa, qua res temere quæsitę, temere perirę conciderant?* Nec vereor *ne parum considerate id bonum dixerim, quod innumeris populis, vrbibus, terris & sentientibus & dolentibus fuerit penè ademptum.* V*ideo quibus coram & vbi habetur hic sermo, neque enim nunc pestanacta sumus.* Q*uanquam (per deum) non video quid aliud bonum dici possit, si hoc vnum dici non potest, quod tanta & tam longa iniuria adimere non potuit, quod vero non potuerit, se*

lix exitus, haud dubie demonstrauit, sed sublatis nobilissimę rei instrumentis, desuetudo secuta est, desuetudinem obliuio, quę prope modum causa fuit, vt diuino munere perpetuo careremus. Sic sanè res habent, vt vbi semel inclinare cœperint, facilius dilabantur, quàm ab initio coalescere contigerit. Ademerat Romanę vrbi multum splendoris & dignitatis, imperij sedes Bizantium translata, secutę inde clades multę, alię post alias, Gethę, Hunni, Longobardi, pluribus locis Italiam foeda populatione vastarunt, sed primę illę gentes dirę nimis, Romanoq; nomini infestę, quippe quę omnis diuini & humani iuris oblitę, superbe & crudeliter victoriam exercuere, non hominum cęde, non templis, non sacro vllo loco aut prophano, infandę manus abstinuerunt, omnia diuina & humana barbara prophanauit temeritas, sed hęc, quia in gremio fortunę sita, minus fortaße lugubria. Illa clades multo maior, illa & dolore & lamentatione dignior, quod vrbs capta, non solum ciuilibus est exhausta, publicis, priuatisq; oneribus deformata, sed diuino etiam literarum thesauro, qua vna re incolumi cętera suo stare vestigio videri potuißent, bibliothecis publicis & priuatis flamma vel rapina consumptis, nihil spei reliquum posteris facere. Proh dolor, quot labores, curę, vigilię, quot rerum monumenta paucis diebus ne dicam horis interiere, sed quàm dira sit tum clades accepta, ipsum postea tempus declarauit, remisit tempestas illa & si sero, remisit tamen. Victi Italis finibus barbari ceßere. Sermonis foeditas quę paßim inoluerat, non ceßit, recepit aliqua ex parte Roma suum

cultum & nitorem, loquendi proprietatem non recepit, & breui, vbi semel foeda illa barbaries se illius ruinis insinuauit, nulla veri sermonis cura, nullum prioris linguę desiderium incessit quemquam. Auxit *id malum longa ętas, quę non solum negligentiam peperit, sed diuini etiam muneris memoriam dira obliuione immerserat.* Iam *enim (si vera loqui volumus) nemo post funestissima illa tempora ad annum hinc circiter quinquagesimum* Romana *locutus lingua videri potuit, aut si quis extitit qui potuerit id pręstare, non magis est inter suos auditus, quàm si ignoto aliquo sermone fuisset locutus.* Extendit *se igitur calamitas illa ad hęc vsque tempora, sed nunc qui primi omnium illam diu sepultam suscitare adorti sint, inde per quos sit in meliorem statum restituta, breuiter dicam, nec quantum in me erit, sua quisquam fraudabitur laude. Quod si forte cuiquam aut plusquam equum sit tribuere videbor, aut adimere, memineritis me dicere quę sentio, sed quę oraculi loco minime sint habenda, imò ne talia quidem, vt non multo veriora adhuc dici possint, pręsertim ab ijs qui adsunt, qui de huiusmodi re firmiore iudicio sententiaque minus ambigua disserere potuissent, verum qui me primas sermonis huius partes ferre voluistis, dicam breuiter quę sentio, vos ita nostra accipite, quasi cuique vestrum integrum relinquatur, diuersa sentire si libeat, ac quę senserit libere tueri, sed iam satis superque exploratum habetis, quo ad dicendum consilio uenerimus, nunc ad ea quę dicere institueram, reuertar.*

P*Er ierant (ut aperte ostendimus) diuque sine no-*

mine, sine cultu, sine spe vlla melioris fortunæ Romanæ literæ in occulto fuerant, quum in Cisalpina Gallia, quod vix quisquam futurum putasset, raræ admodum, nec satis certę reparandę rei scintillę, velut ex densis quibusdam repestisq; emicuere tenebris, etenim neq assertore vno opus fuit, neq vno vindice, vt tam perniciosa pestis Italię finibus pelleretur. Est in Bergomati agro vicus obscuri olim nominis, nunc clarus, suoq; partu illustris, BarZiZam vulgo nominant, hic Gasparinus grammaticus ac rhetor sua tempestate illustris, qui in hac vrbe, ut audio, mox Patauii, inde Mediolani multa nominis celebritate literas docuit, magis felici consilio, quam q tantę cladis resarciendę spes ulla pretenderetur, primus omnium, ut audio ad ueteris eloquentię umbram, nam ex re tam nobili nil tum pręter id unum supererat, oculos retorsit, quum mille & amplius annos, ex quo Gethica illa tempestas terram Italam inuaserat, semper omnia in peius abijssent, Credo ea fidutia fretus, q in treis diuinos illos M. Tul. ad Quintum fratrem libros, quum diutissime non extitissent, primus inciderat, quos situ & uetustate consumptos, diligenti cura & studio emendare adortus, tantum intentiore lectione profecit, vt opus non solum desideratum sed deploratum etiam, in publicum exhibuerit, multosq; ad eloquentię cultum, exemplo & hortatione excitarit. Fab. quintil. tum primum & ipse in transalpina Gallia repertus, per quem autem reperiri contigerit, suo loco dicetur, huius opera nonnihil ueteri creditur squalore detersus. Scripsisse dicitur commentarios in uaria Ciceronis opera, sed qui nulli hodie

extent, epistolę ad hęc & orationes pleręque adduntur, liber prętera de ratione scribendi vnus, quid de ipsius figura et proprietate dicendi suspicari possimus, ipsa tempora admonent, oportuitque; vis nō videt; infirma, vt semper aliàs, tam audacis conatus fuisse principia, sed quemadmodū sępe euenire solet, vt quę vel modicis orta sunt initijs, maiora indies accipiant incrementa, ita accidit, ut iam inde multis alijs quidem post alios ad id consiliū iuuandum prodeuntibus, breui res eò processerit, vt non minus iam spei adesset, quàm ab initio animi fuerat, sed omnium qui sub id tempus extitere, Leonardus Aretinus pręcipua dignus laude occurrit, vir philosophię studijs & eloquentia clarus, nec in historia minus celeber, plerique Romani pontifices circa Constantiaci conuentus tempora, illius opera secretioribus negotij vsi dicuntur, nouissime à Florentinis publicò decreto accersitus, in eorum vrbe esse perseuerauit, studiorum monumenta varia feruntur, quę ex Gręco Latina fecit, ea manifeste arguunt, quàm facilis natura illa fuerit, diuersisque; rebus accommodata, grauis nunc & densus, vt in Basilio illo nescio quo antistite, et in Xenophontis tyranno, nunc candidus ac fusus, vt in Aemylio, Catone, Sertorio, et alijs quos ex Plutarcho acceperat, vt nulla sit in illo virtus, quàm in hoc aliquo modo desideres, velles tamen Ciceroni nihil addidisse, nā in figura alioqui perstitit. Age vero quàm diligenter & accurate Platonicam illam dicendi facultatem in Gorgia et Phędone expressit, quàm erudite in Oeconomicis, Politicis Ethicisque; libris, Aristotelis grauitatem & acumen, sed hęc minora videri possunt, facile est in alieno libro esse disertum, sed in suo

difficile. Eiusdem sunt quatuor Gethicæ historię libri, nam commentarij primi belli Punici ad Polybium merito referũtur. Eiusdem et epistolę quàm plurimę in ordinem digestæ, huius etiam duodecim historiarũ libri, quibus Florentinorum est gesta complexus, de his (nam cętera eius opuscula consulto pręterco) si in vniuersum iudicare velimus, possumus de eo dicere, quod et de Timagene Fabius, intermissam scribẽdę historię industriã eum noua laude reparasse, multę pręterea varięq; in illo viro dicendi virtutes, quas si quis altius inspiciat, adhuc tamen aliquid in elocutione requirat, sed id temporum potius quàm hominis vitium, nec magis in eo accusandum, quàm in Pogio, qui eadem floruit tempestate, is quoq; Tuscus natione, mediaq; Florentia natus, facundo ingenio, & supra omnes quos nostra nouit ętas faceto, quippe qui libellum de ea re lepidissimum reliquit, opus ipsum uulgo legitur, estq; in multorum delicijs. Dicuntur & orationes extare & epistolę ad amicos quam plurimæ, & dę Indiæ situ liber vnus. Diodorus, quem Latinum fecit, vulgo legitur, alia quæ ex Græcis nostra reddidit, ad manus non peruenere, sed vt breuiter dicam, omnia illius venustate potius & copia probantur, quàm elegantia. Hinc certamina illa perpetuęq; altercationes aduersus Laurentianas censuras ei subortę, sed vtcunq; eius scripta accipienda sunt, dignus certè laude vel in primis, quod quem elegantiorem sequeretur, aut cuius exemplo scriberet, præter eum cum quo apertas exercuit simultates, ea ætate habuit neminem, sed quantuscunq; fuit, se propria virtute effecit, verum non magis ea quæ scripsit ad Latina studia

suscitanda, quàm in ijs, quos veteri iniuria amiseramus, conquirendis, hominis studium et industria præfuit, constans phama est Fabium quintilianum alterum Latinæ *linguę lumen sub tempus* Constantiaci *conuentus, ab eo ex* Gallia Romam *deportatum, quem ignotum, squalidum tetroq; pedore carceris consumptum, in aptum restulit, attulit ea res illi multum nominis & celebritatis, quanquam iam antea inter illustres* Italię *viros primas sibi partes vẽdicabat.* Fuit *inde* Romę. Nouissimis *temporibus & ipse publico decreto accersitus,* Florentiam *concessit, vbi iam grandis natu vitam cum more commutauit.* Horum *igitur primi illi in meliora studia conatus, non nihil sanè profuerunt, pleriq; enim partim exemplo, partim ęmulatione in spem maximam adducti, non solum illorum trium virtutem imitandi, sed si paululum anniti vellent, superandi etiam, incredibili studio animũ ad eloquentię cultum erexère, & in his* Guarinus *pater tuus* Baptista *fuisse mihi videtur,* Mapheus Vegius Laudensis, Paulus Vergerius Iustinopolitanus, *prosa hic, ille metro sua ętate clari.* Vidimus Vegianum *carmen velut appendicem quandam* Vergilio *annexum, nescio quid etiã illius, cuius videri voluit ęmulus, redolens, sed ad genium illum castissimum non accedit.* Vergerij *libellus de ingenuis moribus passim legitur, maiori penè elegantia, quàm in hominem eius ætatis cadere debuisset, suauis quidem, nec interim otiosus, grauissimisq; respersus sententijs, vtpote qui philosophię prius operam dederit quàm ad scribendum venisset.* Fuit *is* Chrysolorę *constantinopolitani auditor, cuius &* Franciscus Barbarus *auus tuus* Hermolaë, *cu*

ius accuratissimas orationes et epistolas dum lego, dum suauissimum eum librum quem de re vxoria scripsit, non possum non multum hominis eruditionem admirari, prosequerer eum maiori laude, imò vero iudicio, nisi vererer ne suspectus esse inciperem, vt in Veneti nominis viros cælebrando nimium propensus, non igitur magis de eo ipso homine meam expectate sententiam. quòd si quis quęrat, quid de Leonardi Iustiniani eius ęqualis summiq; oratoris eruditione & ingenio sentiam, elegantissimę eius orationes, Cymon Plutarchi & Lucullus, quos ille ex Gręcis Romanos fecit, vt alia eius ingenij monimenta pretercam, facile declarant, quid ille in communem linguę usum afferre potuisset, si non ad rhytmos fortasse animum adiecisset, quanquam in eo quoque genere non mediocrem consecutus est laudem. Charoli Aretini hoꝝ ętatibus interiecti, nihil ad hunc diem legimus, eius musa ideo fortasse clara, quia Philelphi studijs pręcipue infesta. Dicitur et ipse Græca tractasse studia, vt merito suspicari possis, hunc quoque ex Chrysolorę officina depromptum, nam Guarinum patrem tuum Baptista, quantuscunque fuit, ab eo factum, nemo est qui dubitet, is vno quantus in vtraque lingua extiterit, vt de eo dicam quę & de Isocrate Fabius, eius discipuli facile declarant, Strabonis Europa, quàm ille nostram sua industria fecit, & quę in Platonis vitam & Aristotelis ingeniose commentus, & ex Plutarcho quædam in Latinum uersa vulgo leguntur, dicuntur & orationes ab eo nonnullæ & epistolæ quam plurimæ relictæ, quas neque vidi, nec sum cum aliquo locutus qui se eas legisse dicat sed ex ijs quæ videre potuimus, coniectura assequor,

quid illa quoq; lectio prestare potuisset, et quod omnium operum illius maxime gratum fuit Catullum municipem suum situ & squallore confectum, lucemq; ex diuturnis tenebris reformidantem, ita absterfit, vt sine maiore rubore in publicum exire non dubitarit. Profuit *itaq; ille eximia eruditione multis, sed morum sanctitate optimoq; viuendi instituto non paucis, quàm virtutem multi & in* Victrino Feltrensi *eius aequali aeque mirari dicuntur, adeo ut nihil dubitare possis, uerissima esse que de amborum institutione* vulgo *feruntur, vtrunque ab ineunte adolescentia nescio quo* Rauennate *viro integerrimo dicendi magistro vsum, siquidè haud par ui refert qualem à teneris quisq; annis sit preceptorem sortitus, vt mores igitur ita studia perè paria par etiam & aetas, vicinis inter se propinquisq; vrbibus nati, propinquioribus profesu* Feltri *hic ille* Veronae *genitus, hic* Mantue *docuit, ille* Ferrarie, *vterq; suo principi charus sua felix vterq; familia, felix vite exitus alterius tamen phama aliquanto maior, quanto videlicet* Feltro *maior est* Verona. *Sed quantum hi duo laudis docendo merue re, tantum fortassis* Forliuiensis Blondus *eorum equalis scribendo meritus* videri *potest, quippe qui plura, vt scitis in historia scripsit, quam recentiorum quisquam.* Cir *cunferuntur eius decades, que ab* Romani *imperij incli natione, ad eam qua scripsit vsq; aetatem, plenissimam continent historiam, eidem vrbem* Romam Instauratam, *eidem* Triumphantem *debemus, addo et* Italiam *illustratam, quae omnia, vt libere dicam quae sentio, meliore fide tradidit quàm euentu, vtpote is, qui nonnulla quibus ea perquirenda dederat, temere crediderit, nam*

per se omnia videre potuisse, absurdum est credere, quũ neq; ex autore vno, sed penè innumeris, atq; illis ipsis ambiguis & variantibus, multa quęrenda essent, nec ipsa dicendi figura multum ei fauoris conciliat, nam pręterquam quod vbiq; ferè lutulẽtus fluit, dum neruorum robori studet, prępinguem nimis & obesum se reddidit, ademitq; nimia corpulentia venustatem historię, sine qua prodesse quidem potest, delectare vero minime, sed hęc ille accurata narratione rerumq; varietate compensat. Florentini Lapi, Antonij Tudertini, & aliorum quorundam scripta aliquid certe commodi Latinis studijs attulerunt, sed ad id quod amissum erat reparandum, non magis vtilia, quàm quę non paucis ante annis Franciscus Petrarcha, & Ioannes Boccatius scripsere, vterq; alioqui clarus, hic mythica historica, ille rithmis eminens. Sustinuerunt itaq; pleriq; grassantis barbariei impetum, propulsare tamen non potuerunt. Vindicarũt seruitio quidem Ciceronem, Fabium, Catullum, sed hoc sacra vestalesq; currit in tutum deferre fuit docuère rhetoricen, alij aliquanto accuratius, docuere & grammaticen, & hoc in quirinalem per hostium stationes cum sacris transiere, nonnulli Latinam edidère historiam, aut Gręcam in latium verère, neq; id aliud quàm Gallos ex arce umbone deturbàre, Erant nihilominus hostes intra mœnia, capitolium obsidère, finitimos solicitare, eorum signa longe lateq; vagari, Camillo duce opus erat, qui barbarum acie victum non solum vrbe, sed Italię etiam finibus eijceret. Cui igitur summus ille honor contigit? huic videlicet, à quo patrium sermonem maxime vindicari oportuit. Romanus fuerat Furius, non externus,

qui barbaros vrbe expulit, Romanus & hic, qui barbarum sermonem prorsus sustulit. Struxerat Furius ille intra vrbem legiones, quas in hostem direxit. Struxit & Laurentius Vallensis accuratissimos elegantiarum libros, in foedam & horridam barbariem. Vicit, dux ipse primo intra mœnia, mox quod reliquum hostium fuit, ad vnum foris confecit, eodem non alio successu hic quoq; Romæ primo, mox reliqua Italia inueteratum malum oppressit, restituit ille patriæ adempta signa, hic adeptum sermonem, vterq; dignus qui pater patriæ nominetur, sed eo alter dignior, quod plus certe fuit sermonem, quo nihil ab ipsa natura est homini vtilius datum, quàm vrbem ciuibus restituisse suis. Nec imitatus est hic de quo loquor malos medicos, qui cum alios recte curare soleant, se ipsos nequeunt. Tradidit ille elegantiarum præcepta Romanę linguę neruos, sed nihilo accuratius tradidit quàm seruauit. Legite (si placet) Herodotum, quem ille ciuitate donauit, citentur ex elysijs (vt poëtæ dicunt) campis ipsius manes, deturq; Latine scire, num negabit sua esse illa quę videat, an potius cętera agnoscens, & in primis eximium candorem, tantum mirabitur musa, quibus opus inscripserat, lenice desiisse loqui, cæterum omnia meliora. An aliud de Thucidide & Homeri iliade prædicari potest, sed in eo scribendi genere non pauca accidere potuerunt, quę illum duriorem redderent. Age modo, & si vacat ille cognoscite, quę proprio fonte manarunt, epistolas, orationes, dialogos, et alia pleraq;, quę non ita omnibus vulgata sunt, an est eo homine quicq̃ purius, sunt qui in his quoq; eum duriusculum existiment, sed

eruditio illa, ni fallor, est. Floruerunt cum eo Romę & reliqua Italia viri multi illustres, atque aliquanto in scribendo emendatiores, quod icirco fortasse illis contigit, quia ad manus, vt dicitur, habuerũt, quem potissimum imitarentur, aut quod euenire potuit, in eius scripta inciderunt, quanquam id quoque esse potuit in causa, vt vbi illi pristinam scribendi formam vulgo repudiari viderunt, ac pro barbaris haberi qui non omnia exacte & accurate dicerent, ipsi etiam quisque pro se ad id animum intenderunt, vt nihil inemendatum, nihil temere in aptum referent, verum sic quoque visi sunt hi, de quibus loquor, aliqua suspicione digni quanquam eorum scripta aliquid habeant, quod non omnino Romanum dici possit, vsque adeo tenaciter hærent quę à teneris didicimus, ita inquam, vt vbi semel recepta sit, ne meliora quidem si aliquo modo contraria videantur, amplius admittãt. Sed omnium qui tunc fuère, duo clarissimi poëtæ extiterunt, Franciscus Philelphus, & Antonius Panormita, vterque suo principi charus, hic Alphõso regi, ille Philippo Mediolanensi, sed alter eo forte maior, quia non minus orator quàm poëta, Græcéque & Latine doctus, nec à studijs philosophiæ abhorrens, quod aperte eius opera declarant. Sfortiadem, Satyras, Epigrammata, & alia quæ carmine complexus est, varijs iudicijs excipi video. Nam ego ne tantum in hoc genere mihi tribuam, quid alij sentiant, non illibenter aduertam. Probant multi in eo facilitatem, copiam, iocunditatem, quidam torrentis more nunc tumidum nimis, nunc nimis humilem aridumque fluere arbitrantur. Vidimus epistolas, dialogos, orationes, & alia multa partim Latina,

partim quæ ipse ex Græco uerterat, præter orationes, quę penè LX. *numero feruntur.* Ad *centum & amplius scripsit volumina, de quibus, si ex ijs quę extant licet iudicare, dicam quod & multi, fuisse in eo viro facultatem dicendi eximiam, naturamq; omnibus eloquentię partibus accommodatum, sed iudicium in quibusdam defuisse, requirasq; iure in eo, quod & in* Anneo *Seneca* Fabius, *oportuisse eum suo ingenio, alieno iudicio dicere. quicquid enim natura illa voluit, effecit.* Dulcis, *candidus & facetus* Panormita, *sed lasciui carminis amator, atq; ob id probis viris minime legendus.* Nec *Pius pontifex mihi excidit,* Aeneas *antea nominatus, poëta quidem magnus, sed orator adhuc maior, quem etiam, si inter nouos historicos reponas, cui cedere debeat, haud facile reperias.* Extant *(vt orationes, epistolas, aliaq; eius monimenta prętercam) geographia quę* Asia *inscribitur, et in* Blondi *historias* Epitome, *quid pręter aliquid elegantię in eo requiras, nil certe est.* Si *quis huic beatissima dicendi copia comparandus est, & si in elocutione aliquanto maiori, vnus omnium meo iudicio* Baptista Albertus *Florētini generis merito conferri potest.* Nullus, *quod sciam, nostra tempestate mathematicas artes elegantius tractauit, eius de architectura opus id præcipue arguit, extant & alia eius monimenta, quę siquis accuratius pergat scrutari, tantum in elocutione ei tribuet, quantum* Latinorum, *qui nostra memoria fuerūt, fortasse nemini.* Eminentissimi *quanquam diuerso genere* Bessario Nicenus *antistes, &* Georgius Trapezontius, *vterq;* Graij *sanguinis hic* Platonis *oppugnator, ille defensor, sed alter (vt fertur) & vt res ipsa decla,*

rat, in philosophia maior, in elocutione alter, vt pote qui de ratione dicendi nõnunquam scripserit, Rhetoricenq; docuerit. Nec Gregorius Tifernas nihil meritus est, qui Aphricam Strabonis & Asiam nostris studijs adiecit, cognoscitur & eius carmen tam pium quàm elegans. Nicolaus vero Perottus Sipontinus antistes, post Laurentium, quem velut Homericum illum Achillem semper excipiendum duxi, omnium quos diximus Latinæ elegantiæ longe studiosissimus merito habetur. Nihil ipsius Polybio candidius, nihil minus elaboratum, quum elaboratissima alioqui omnia appareant. Quid igitur epistolis, quæ illius nomine circunferuntur, grauius, nollem eum in aperta conuicia & simultates indignissimas, persona quàm sustinebat, tam aperte descivisse. Ars grammatica, quàm in communem vsum edidit (quod paucis eius generis scriptoribus solet accidere) vulgo, vt video, probatur. Sunt qui commentarios eius Cornucopię inscripsit, se vidisse dicant, rem adhuc indigestam sed quę plurimum alioqui habeat eruditionis. Procellij poetæ elegiæ, & ipse amorum indices, nisi materia laudi obstaret, omnino plus gratiæ erant habituræ, sunt qui heroicum carmen, & epigrammata se vidisse dicant, leporem in eo probant cuncti, eruditionem & grauitatem adimunt. Quæ duo Mario quoque Philelphi filio defuisse, cum cætera illius scripta, tum eius bucolicum carmen manifeste declarat. Fuit alioqui prompto ingenio, memoriaq; capacissima, quippe qui vestigio stans vno, centum ordine dictantibus, confestim cuique suam eo quo acceperat ordine complexam carmine redderet materiam, fuit ad hæc rotato

sermone, vtpote Graij sanguinis, matre natus Chry-solorae filia, plura fronte polliceri, quàm recessu praestaret. Vix ex eo quicquam docto homine dignum uideri potest profectum, omnia praecipitata potius quàm aedita cultior, accuratiorq; Omniborus Leonicenus, quanquam poeta ille, hic rhetor, at si vtriusq; scripta conferas, compositius hunc soluta, quàm illum frenata procedere oratione dixeris, Bernardum Iustinianum patritium vestrum, qui illius orationes videre, verborum pondus & sententias mirati, inter recentium oratorum principes reponendum autumant. Eius libri de origine vrbis huius nondum in lucem venere, sed vt in summa sint expectatione, ea quae nouimus faciunt. Dixi nolle me Venetorum ingenia censere, ne ambitiose videar id facere, sed nescio quo nam modo undiq; illorum virtutes sese nobis ingerunt, quae si omnino declinarem, tam me hercle accusandus essem, quàm ille, qui nobilissimam aliquam imaginem gaudeat procul spectare, intentiusq; miretur longius visendam, eandem vero oculis admotam, non aduertat. Nam vt de alijs sileã, quis est tam stupidi ingenij, aut ab humanarum literarum studijs tam alienus, qui in Petro Barotio Patauino antistite, eodemq; Veneto, vtrunq; dicendi genus non suscipiat & miretur. Incidi quandoq; in eius carmen. Nihil grauius uidi unquam, nihil magis pium, magisq; religionis accommodatum, Cupio vehementer videre opus ab eo de optimo genere moriendi nuperrime absolutum, in quo audio omnia diuine ab eo disposita. Sed ad externos redeo, Offertq; se mihi vltro Theodorus Gaza, de quo propemodũ dici potest, q̃d & Apollonius ille

de Cicerone dixisse fertur, ademptam ab illo Græcis eloquentiæ laudem, nunc contra Graij sanguinis hominem Latinis ademisse, nihil eo viro cultius, nihil castius, nec vereor ne ambitione id à nobis dictum videri possit. fuit ille Græcus (vt dixi) verum quum eius Theophrastum lego, quem dico Latinum fecit, aut Aristotelis libros qui de animalium natura inscribuntur, admirari non desino ac dubitare, utrum incredibilem illam verborum proprietatem nostri à Græcis acceperint, an illi à nostris potius. Grandem nouamq́; præterea laudem consecuti mihi videntur, etsi in alienis rebus interpretandis, studijs tamen grauioribus, Marsilius Ficinus Florētię, qui omnia Platonis opera in Latinum vertit, & Hermolaus hic vester, qui Themistium & Aristoteles opera, Latinis adiecit, præstiterunt meo iudicio, quod post inclinatam eloquentiā nemo, ostenderuntq́; hi non rem, sed eos qui eiusmodi opera antea in Latinum vertere, in causa fuisse, quod qui ad nostram vsq; ætatem philosophati sunt, parum Romanæ sint locuti, sed hic vester (nec amor me fallit) maior elegantiæ obseruator, quanquam in illo quoq; nihil sit, quod vel delicatissimum offendere possit lectorem. quid, quod & diuinæ literæ indies, vt video, magis excoluntur, quid enim in hoc præclaro studiorum successit Pici heptaplo vidimus aut cultius, aut elegantius? Nemo meo iudicio post Lactantium et Hieronymum melius in eo scribendi genere Latinam custodiuit elegantiam, transeo altissimam eruditionem, quæ perspicue demonstrat vera esse, quę ad nos de eius studij acrimonia iam pridem phama deferuntur, contigisse illi adhuc vnum, quod et recentiorum ne-

mini, vt Græca & Chaldæa studia Romanis iunxerit. Subijciam adhuc quosdam, quorum scripta iam pridem leguntur, occurruntq; in primis Pomponius Sabellici nostri præceptor, & Platina, vterq; (ni fallor) Laurentij Vallensis auditor. Pomponij pauca omnino extant, sed illa ipsa accuratissime conscripta. Nouimus quæ de legibus, sacerdotijs & magistratibus ad M. Pantagathum scripsit, quanquam & de arte grammatica edidit præcepta, omnia mira uetustate redolentia, arguuntq; planè hominis studium, quod in recognoscenda vetustate præcipue fuit occupatum. Platinæ historia & quæ de honesta voluptate scripsit, omnibus nota sunt, extat & elegantiarum libellus, qui eius nomine circumferuntur. Est & ipse vetustatis amator egregius, sed adhuc plus gratiæ habiturus, si quædam in usum non recepisset. Aliquid certe mihi in eodem genere laudis mereri videntur Io. Galaber, cui est Simonetæ cognomen, & Donatus Acciaiolus Florentiæ natus, hic præter Plutarchi quædam in Latinum versa, gestorum Caroli, qui Italiam Longobardicis armis diutissime pressam, barbaris victis in antiquam libertatem restituit, breuis autor, Francisci Sfortiæ prolixior ille, hic quantuscunq; est, suus est, non alterius, cultor ille, sed qui Philelphi lima sit nonnihil, vt creditur, adiutus. Exciderat mihi Campanus antistes, quem siue elegantiam, siue dicendi acumen requiras, siue candorem potius aut venustatem, rectius vetustis scriptoribus quàm recentibus annumeres. Nec Galeotus Narmensis nihil præstitit, & si quæ scripserat, omnino stare contigisset. Extant tamen adhuc aliqua, vt de homine opusculum, & alia quædam parum nota,

in quibus video nonnullos verborum proprietatem desiderare. Cętera neq; insulsa, neq; parum perspicua dixeris. Angeli Sabini Turrensis Belgicum carmen non legimus, sed quia in pontificis bibliotheca repositum aiũt, cogimur nondum visum probare, & si non desunt, qui se legisse dicant, damnentq; aperte opus, vt parum elaboratum, maior in commentando autoritas. Nec Coriolanus Cipicus parum vno est libro notus, quo ille Petri Mocenici, qui postea princeps fuit, gesta est complexus, vix ex Dalmatica illa ora eam dicendi facultatem hac quisq̃ tempestate expectasset, redundat breui illa historia multis quidem virtutibus, & quod me potissimum delectauit, nihil est quod in illius elocutione requiras, nec est, vt ad Palladium Nigrum, per quem proximis annis Romanę in ea terra literę in antiquum sunt statum restitutæ, eius studia referas, est enim Coriolanus iam grandis natu, quippe quem diu ante illius in Dalmatiam accessum profecisse oportet. In Pontani viri clarissimi carmen nunq̃ incidi, sed multum ea ab omnibus tribui video in eo genere, estq; in historia (vt audio) nihilo minor, quam rumor est eleganti iam pridem stilo texere. T. Strozij poemata pręter famam ipsa pontificis bibliotheca, in quam reponi meruerunt, pręcipue commendat, coniecimus quandoq; in eam lectionem oculos, placuitq; maxime. Elegia nihilo his inferior, ac nescio an maior etiam habendus Aemylianus Cimbriacus, cuius elegię & epigrammata sparsim leguntur. Multus in eo viro lepor, sed maior adhuc grauitas probatur à multis, qui carmen viderunt eius Asteris, sic enim audio ab eo Rhodiacum bellum inscribi, parię; laude ex-

*tollunt Encomiasticon ex eadem officina nuper ad Fe-
dericum imperatorem deprumptum.* Nec Cymbius
Cemetensis Cimbriaco minor, ac nescio an maiorem
etiam laudem in vtroque genere carminis adeptus. Ba-
ptistæ Mantuani viri carmelitana religione carmen ne
queo satis admirari, ob incredibiles virtutes. Scripsit
ad hunc diem non pauca, & de vita virginis, de o-
ratoris & poetæ laudibus, de contemptu mortis, quod
si ex ijs quæ ad nos delata sunt licet de hominis inge-
nio in vniuersum iudicare, quem illi in hoc genere di-
cendi præferas, hodie habemus fermè neminem. Mul-
tum ingenij & in M. Octauio Phanensi, multum in
Forliuiensi Fausto, verum vterque amorum cantator,
& ob id minus quàm ille de quo loquor, celebrandi.
Quid Cosmicus, nunquid sine piaculo illius musa præ
teriri potest silentio, quæ totam Italiam in sui expe-
ctationem erexit, sed quia ex illa officina nihil deprom
ptum vidi, ne quid temere dicam, alij verius de eo fe-
rent testimonium, non magis de eo dicam quàm de Ca-
limacho qui adest, ne in gratiam videar aliquid hic fa
ri, audio tamen Elegias quas secum ex Sarmatia attu-
lit à plerisque incredibili fauore exceptas, & cum his
Atyle vitam ab eo nuper æditam, præludium credo id
fuisse Calimachæ eius historiæ quam te iam pridem
animo meditari audio, subijciet his aliquis haud imme-
rito Ioannem Tortelium Aretinum, & Iouinianum
Parthenopeum, Iuuerunt illi industria vterque sua, nec
multum inter se diuersa, verborum vtriusque linguæ co-
piam. Scio præter hos esse adhuc quamplurimos inge-
nio & doctrina illustres, qui alia atque alia ad dicen-

dum via ingressi, nomen aliquod & phamam ex suo labore & industria tulère, sed quia icirco ad hanc narrationem accessimus, vt per quos potissimum Latina lingua nobis restituta sit exponeremus, hi mihi digni visi sunt, quibus ob variam operam ipsi rei nauatam, quicquid hoc est, per quod Romanus sermo suum veterem splendorem recepit, acceptum referemus. Praeterij sciens multos, qui diuersa omnino meditatione ad hoc ipsum efficiendum vsi, non minus (vt arbitror) ac nescio an etiam plus aliquid quàm illi, quorum mentionem feci. Latinis studijs profuisse videri possunt, verum quia illorum quasi glossemata quaedam poëtarum carminibus cohaerentia, quorum lectione ob aetatem iam ingrauescentem consulto abstineo, non habeo quid de his dicere possim sed adsunt hic pleriq; qui id commodissime prestabunt, vel duo in primis, qui si fortè abessent, ob iudicium excellentemq; in ijs studijs doctrinam potissimum ad id munus requirendi essent. Ab illis igitur quę adhuc de Romanę linguae reparatione dicenda restant quaerite, nam quid à me in ea materia amplius expectare possitis, est certe nihil. Accuratissimam Prunuli disertationem incredibilis est assensus secutus, laudare omnes in illo imò mirari potius non minus tot variarum rerum memoriam quàm constans & acre iudicium, sed quum dicendi finem fecisset, deiecissentq; omnes in Baptistam Guarini filium oculos, nemo non erat qui non aperte intelligeret, aut eum vnum prouinciam illam aditurum, aut alium ex his qui aderant neminem, tum Prunulus iterum orsus, ego inquit Baptista vir clarissime, non magis Oedipus sum quàm Terentianus

rentianus ille Dauus, verum ab initio diuinare libuit, fore vt nos duo hanc feruidam cœnaremus ollam, quandoquidem ad primam rei mentionem omnes in nos ambos, vt Græci olim, Achille & alijs ducibus ad Troiam cessantibus, in duos Aiaces oculos defixissent atquia nostrum quod in multis esset iudicium audiuere, non est dubium quin iam & tuum in his quæ restant, cupidissime expectent, tu vero quando non illis modo, qui id tantopere cupiunt audire, sed rem mihi etiam facturus sis gratissimam, si quæ de nouo hoc scribendi genere, ad quod multi nostra tempestate omne suum studium adiecere sentias, ordine disserueris. Da operam quæso ne tot eruditorum hominum expectationem frustratus videare, nec est cur aliquid pares excusare, quum ne moram quidem in te vllam (vt video) sint laturi; assentientibus cunctis, hortantibusq; ne grauate id præstaret, Tum ille Prunulum familiariter respiciens Effecisti, inquit, hodie vir doctissime, quod ne iniquus quidem fecisset lanista, vt prius hoplomachum in harenam compuleris, quàm ad pugnam satis idoneum cognoueris. Oportuit (credo) prius quærere, an is omnino essem, qui rectum de tot viris illustribus iudicium ferre possem, quàm nobis tam graue onus imponeretur, sed quasi omnia adessent, prouinciam nondum etiam decretam me obire voluisti, satis quidem amice sed imperiose nimis verum iccirco, credo, quia tutius sit peregrinum hominem, quàm ciuē ad officium minime voluntarium compellere, sed memineris nos in libera ciuitate esse, vbi æquo viuitur iure, possemq; ego quasi le-

ge Papia ciuium numero exclusus, istud ipsum munus detrectare, verum quia non te solum, se quicunque assunt ita velle intelligo, ne vestra magis causa voluisse videar, quàm non potuisse, dabo operam, vt quambreuissime cognoscatis quæ nostra sit de nouo horum instituto sententia, qui diuersa quędam (vt dicitis) scribendi ratione, nouum quasi dogma induxerunt.

Baptistę Guarini dissertatio.

PRimum itaque omnium illud quęrendum arbitror viri amatissimi, de quo inter doctos quæri solere video. Fuerit'ne operępretium id facere, vt in veteres poetas, quod plerique pręstitisse gloriantur, commentarios vllos haberemus. Ne desunt qui id non solum non laudent, sed vituperent etiam maxime, neruegentéq; in tanta librorum copia, quantam paucis annis miranda hæc succinctáq; imprimendorum librorum ratio peperit, curiosiore vlla commentatione studiosis hominibus opus fuisse, quippe qui per se omnia, si paululum adniti voluissent, rectius explorassent, unde eo maior esset profectus secutus quo maiore fide & studio veterum monumenta euoluere solemus, quàm recentiorum est. Præterea quis non videt, longe purior, & ob id forte suauior gustu aqua, ex viuis fontibus, quàm riuulis hausta. Adijciunt & illud, tardiora fieri ingenia ea lectione, quum nihil per se interim curent inuestigare, nihil comminisci, nihil denique libero ingenio dignum moliri, credi ad hæc seruile quiddam alienis semper pręceptis parère nihil nisi quę prius monstrata sint, aggredi audere, essééq; ob id nulli, qui

maiorem animo profectum conceperit, eiusmodi commentarios attingendos, oriri insuper adolescentibus inde ac pueris maiorem omnino cladem, quod multi commentariorum fidutia freti, sine literis, sine iudicio, ad literariam professionem temere accedunt, tum vero perdita quadam audacia poetas ipsos, eorumq; interpretes, quos vtiq; non intelligunt, inuertentes, depravantes, omnia confundunt, etenim quum aliquid scire videri volunt, nemini parcunt, ne illis quidem per quos proficere deberent, imbuuntq; miseros adolescentes multis ineptijs, quod omnium pessimum est, cogunt etiam falsis opinionibus (vt aliquid docuisse videantur) assentire, ac scriptores ipsos prius odisse, quàm per ætatem possint intelligere. Hæc illi, quibus si quis temere accedat, haud omnino vana afferri videbuntur, sed res longe aliter habet, nam ab initio neq; ea quę nunc, fuit librorum copia, nec omnibus in hac, reiq; vbertate, bibliothecæ sibi parandæ est concessa facultas; sed detur & hoc ipsum. Non *omnibus idem est animi vigor, non eadem in conquirendis rebus industria, in conseruandis diligentia, in mutandis iudicium, q nisi recentiorum industria hac quoq; parte fuisset perditis rebus opitulata, in obscuro adhuc essent illi, per quos Romanam linguam vindicari oportuit, satis enim laterent, si à nullo aut à quampaucissimis intelligerentur.* Q*uòd vero multos aiunt ob eam rem supra quàm præstare possint audere, vtinam semper eo stature humanæ fuissent, vt non plures reperti essent, qui videri mallent quàm esse docti; fuit itaq; pernecessarium Romanas literas*

hac quoq; ratione suscitari, frustra enim veteres scriptores postliminio receptos vidissemus, nisi & ciuitatis iura recepissent, quod sine eiusmodi patrocinio, aut nunquam, aut serò contigisse. Verum quum multi sint quibus hoc nomine debere velimus, cui plus oporteat quàm Domitio Veronensi meo municipi, haud facile reperio, quippe cui, quemadmodum Prunulus modo Laurentianus studijs emendatissimam hanc loquendi rationem; ita percipuam poetarum veterumq; scriptorum enarrationem audeo ascribere, nam præterquam q multiplices & varios edidit commentarios, in Valerium Martialem, Papinij syluas. Iuuenalem, Sappho, Propertium, ibi iam & in Silium Italicum, & in Ciceronis ad Atticum epistolas, vtpote iam paratos, vt ipse in quadam testatur epistola edere maturabat, cœperat ad hæc Pausaniam in Latinum vertere, quum immatura est morte præuentus, & quod omnium maxime nostris studijs calamitosum fuit, quartum Obseruationum librum habebat in manibus, quod opus eius interceptum in occulto adhuc est. Vidimus earum obseruationum quasdam illius scriptis quasi flosculos inspersas, quas ille ideo indice nobiles, fecerat, vt in maiorem suscepti operis expectationem studiosos erigeret, sed quò maior fuit expectatio illa, eò certe lugubrior frustratio desideriūq; defuncti maius. Multum sanè in eo homine amisimus, nihil erat tam arduum & difficile, quod de se natura illa non sponte polliceri posset, Sed est certe, ni fallor, tacita quædam fatorum inuidia, quæ potiora semper

ex humanis decerptat. Peryt ille admodum iuuenis, cui si longior vita contigisset, multo emendatiorem hodie Latinam linguam haberemus, nec eo inficias, habuisse eum ab initio quorum vestigijs insisteret, nam quod ad ipsos in Valerium Martialem commentarios attinet, multum diuq; Sipontinus attristes, & Pomponius, qui omnium primus id opus Romæ interpretatus dicitur, in ea lectione, vt audio, euigilarunt, dictitarantq; non pauca. Conscripserat & Angelus Sabinus, quem ille Fidentinum appellat, aliquot annos ante in Iuuenalem quęstiones quasdam accuratissime, sed hic noster, vt natura erat facili promptoq; ad comminiscendum ingenio, non solum quę ex illis accepisse videri potuit, est secutus, verum per se multa etiam addidit, atq; ea ipsa cognitu vtiliss.ma. Nec me fugit esse omnino aliqua in eius scriptis, quæ præcipitata potius videri possint quàm ædita, sed simultas & æmulatio, duo acres stimuli, illum ad eorum quæ scribebantur immaturam compulerunt ęditionem. Fuerunt pręter hos & alij multi qui in Iuuenalis satyras scripserunt quorum omnium videtur mihi pręcipua memoria dignus GEORGIVS *Merula Alexandrinus, quod ex eius scriptis facile colligi potest, rerum obseruator diligentissimus, nihil ex illa eruitur officina, quod non idem sit & maxime laboratum, iureq; non minus diligentiam in homine laudes quàm naturam. Extant & alia eius monumenta obseruationes quędam, epistolę nec adeo multę, quę eodem, quo dixi nomine valde probantur. Docuit ille diu*

publicæ in hac vrbe, nunc constans phama est, animum ad historiam adiecisse, in cuius videndæ expectationem iam multos frequētia literarum id amicos erexit. Age vero, num & Paulus Piscinensis, cognomento Marsus, parum præstitisse videtur, qui tam significanter omnes Romanos ritus in Fastorum enarratione explicauit, quid in poëtices apparatum dici potest, quod ille legentium oculis non subiecerit, vt ausim propemodum affirmare, plus illius lectionem, quàm Nasonis, cuius se interpretem exhibuit, ad eruditionem conferre. Mira in homine dicendi facultas atq; eò maiore admiratione digna quò natura illa ad carmen multo q̃ ad pedestrem orationem fuit próptior, Nullus nostra tempestate extemporalior poëta, illius carmen est Fastis insertum, ex eo datur intelligi, quantus in poëtica futurus fuisset, si temperare voluisset ingenio, præstitit itaq; is in communem vsum omnino aliquid, sed multo plura eius conterraneus Petrus Marsus Cesensis, is non ad poëtas solum explicandos, sed ad oratores quoque & philosophos, studium adiecit, extant eius in Silium Italicum commentarij, multa eruditione referti, sed longe vtilior a quæ in Ciceronis opera conscripsit, eloquens, vt Pomponij auditorem agnoscas, & quod plus est, propemodum philosophus, sed quantuscunq; in philosophia est, eum Argyropili contubernium effecit. Acutior in poëtis explicandis, cultiorq; meo iudicio Antonius Volscus, & ipse Pomponij auditor, diligens in Nasonis heroidibus, sed in Propertio diligentior. Pari penè laude nominandi sunt Cyllenius &

Parthenius Veronenses, Catulli hic, ille Tibulli interpres, sed alter ciuica, vt sic dicam, corona penè dignus, qui ciuem seruarit suum seruauit eum quem multis nodis vinctum soluerat. Sunt qui Philippum Beroaldum Bononiensem & ipsum in Propertium commentarios elegantissime conscriptos, aut iam edidisse dicant, aut non multo post etiam editurum, sed de his quę nondum vidimus, quid dicam nihil habeo. Nec excidit mihi Florētinę academię decus maximum Christophorus Landinus, cuius dicendi copia vulgo (vt video) probatur, accusatur tamen in quibusdam, vt parum diligens, tanquam planè constet ea illum non prestare, quæ aut incuria, aut consulto præterijt, velles ad hæc beatissimam illam dicendi facultatem ad maiorem vsum comparatam, quàm vt imperitæ multitudini seruire voluisset. T. Liuium & Plinium duo Latinæ linguę lumina, non sine piaculi suspicione omnibus vulgauit, sed tantum abest, vt sit in altero id quòd maxime optabat consecutus, vt nemo obscure præ se ferat, duriorem esse Plinium iam Tuscum factum, quàm antea Romanus fuisset, Patauium videbit, quò animo sit laturum, vt Patauinitas illa quam Pollio in Liuio deprehenderat, quantum in eo viro fuerit, vix extet amplius. Nos Veronenses, nam non dubitamus eum virum nobis vendicare, nihil adhuc in eo amisimus, sed habuit fortassis ille patrij sermonis rationem, longe lateq; propagatum iri eo modo putauit, recte quidem, nam multa & magna patriæ debemus, sed meo iudicio rectius si patriam, omneq; Tuscum nomen proprio labore, &

industria nobilitare potuisset; potuisset quidem, nam est ea natura vberius nihil, ad omnes eloquentię partes tractandas, aptius. Fontius *&* *ipse non parum in* Persio *meruit, sed illius orationes maiore quodam fauore excipiuntur.* Statij Achillem Franciscus Maturantius *tractabiliorem reddidit,* Papiniana *illa duritate candido sermone mollita. Sed in* Verrinis *actionibus explicandis maiorem validioremq; se præstitit, quanquam materiam diligentius quàm artem tractauerit.* Velles *&* *poeticæ vacasse, nihil eius musa cultius.* At vbertinus *ille* Crescentinas, *qui familiares* Ciceronis *epistolas diligenti enarratione familiarissimas reddidit, non minùs meo iudicio mereretur, quàm qui peregre profecturis, viaticum officiose comparat. Nulla lectio est in qua teneriora ingenia facilius coalescant, sed multa prius in eo opere ignoratione rerum subobscura multæ dicendi virtutes parum intellectę, quę res in causa fuit, vt qui omnia altius scrutari solent, diu non temere eam lectionem adierint, at nec communis facta, & in qua adolescentes velut in primo studiorum limine paulisper immorati, mirum immodum proficiant.* At hercle Oliuerius *Agerianus, quanquam* Omniboni Leoniceni *commentarijs adiutus, multa in* Valerium maximum, *eaq; eleganter etiam commentus est, sed neuter omnia vidit,* Ioannes Britannicus *&* *ipse in* Achillem Papinij, *&* *in* Persium *commentarios elegantissime conscriptos edidit, magna est* *&* *de* Antonio Phanense *in sex Fastorum libros expectatio; etsi poeta hic idem optimus, epigrammatumq; & elegiarum scriptor elegan*

tissimus. Sunt adhuc non paucis quos de industria in hunc locum distuli, non quia ijs quorum meminimus, sint aut ingenio aut eruditione inferiores, quin potius tales, vt in alterutro ordine reponas, honestissimum sibi locum vendicent, occurruntq; primo ex tribus celeberrimus Italiae gymnasijs tres viri clarissimi, quos tanquam hominum flores non erit absurdum extra ordinem nominare, & vt ab Roma incipiam, vbi Latinae literae & natae sunt & coaluerunt, Sulpitius Verulanus, quem grandem mihi ab initio phama obtulit, sed maior omnino visus, vbi illius artem perlegi, ita erudite omnia ac tam grauiter disposita, vt adempto indice, nihil in toto opere esse dicas, quod in nostra temporis reijcere possis, sed ex aliqua potius veterum officina depromptum, quid eius carmen, quid alia studiorum monimenta, quę eiusmodi certè sunt, vt nihil in illis desideres, nihil adimere possis. Talem profecto ac nescio an maiorem etiam Florentia nunc habet, quem Politianum studiosi appellant, scitis credo quis sit de quo loquor, clarus Laurentij Medicaei contubernio, ingenio tamen & doctrina clarior, multi quidem viri mecum antea de eo sermonem habuerunt, constantiq; praedicatione efficere, vt priusquam hominem vidissem, vehementer amarem, verum vbi eius syluae ad me sunt delatae, praedicare non destiti, tulisse tandem nostra secula viros hedera (vt Satyrus ait) dignos, & imagine macra, etenim si virtutes eius carminis attendas, non est, nisi me opinio fallit, quem ex ijs qui hodie illustres habentur, illi pręferre possis,

quid eius Miscellanea, an est illis quicquam limatius, exquisitius? planè ea lucubratio demonstrat, quantum vir ille & Græce & Latine profecerit, quàm acri in recognoscenda vetustate sit iudicio. Age nunc & Patauium reuersus, quid Calphurnio copiosius, quod ue eruditus, an eius carmen mediocri videtur vobis laude dignum. Franciscus Niger æqua est laude pensandus, ac nescio an propter ea quæ scripsit, etiam aliquanto maiore, difficile est iudicare, maior ne orator sit, an poeta. Quod si ingenij ratio habenda est, quem horum Cornelio Vitello præferre possis, non facile perspicio, vna vel breui meditatione qua in Georgium Merulam est inuectus, haud dubie ostenditur, quid ab eo expectari possit, modo velit stomacho temperare. Sequuntur pleriq; alij, Ioannes Ariminensis. Cipicus Coriolani filius, duo Cynthij, Aconitanus hic, ille Cenotensis, Iosephus Vicentinus, Palladius Niger, Ioannes Marosticanus, Cātalicus Lepidus, Pyerius et alij multi, qui in communem vsum assidue aliquid cudere dicuntur. Sed eos, quia vereor ne noster hic sermo nimis longus videatur, consulto prætereo, quanquam multi etiam eorum, quos in ordinem redegi, nihil ad hunc diem edidere, aut quia otium illis defuit, aut quod sua præcipitare noluerunt. Expectanda tamen à tanta indole ardua & sublimia sunt, & qui vulgo leguntur, quos consulto Prunulum suppressisse suspicari libet, sed de his ille dicere voluit, qui aliquid aut præcipiendo, aut eleganter tradendo, Latinum sermonem locupletiorem, emendatioremq; reddidere, q tantum abest, vt quidam

quorum scripta leguntur, effecerint, vt nullius rei vsi sint minorem habuisse, quàm proprietatis & elegantię rationem, fuissetq; ob id satius, aut nihil eos scribere, aut ea quæ tradenda erunt, accuratius edere, nam quum multa habeant illorum scripta cognitione digna, non pauci ad ea temere cognoscẽda accurrunt, acciditq; illis, quod & pueris à matre deceptis, qui cum aridam ficum ab ea oblatam cupidissime vorarunt, cœperuntq; antidotum in ea inclusum sentire, oderunt illam, atq; irati satagunt simul omnia reddere, haud multum dissimili euentu, qui in illorum res incidunt, si sint bonarum literarum studiosi, non possunt non subitaria ab ea lectione abscedere, quasi redoleant ita comparatum, vt in ea sine periculo versari non possint. Est alio qui (quis nescit) illorum industria non parum probanda, suntq; & ipsi digni, qui tam bonam segetem, melius colere voluissent, aut si voluntas non defuit, saltem potuissent, hi sunt igitur (nam de reliquis qui ad nostrum non faciunt institutum, nihil attinet dicere) qui Romanam linguam mille circiter & amplius annos indigno pressam seruitio, in antiquam libertatem vindicarunt, omniq; barbarie prorsus sublata, suum Roma, cęteraq; Italia recepit sermonem, digni quorum nomina nullam sentiant obliuionis iniuriam. Etenim Romanam linguam multi condidere, multasq; hominum ætates illius cœperunt incrementa, nunc pauci admodum paucioribus annis eam restituere. Satius penè fuisset nunquam ex gręcia literas ad nos delatas, nunquam historicos, poetas, oratores habuisse, si tot

claris ingenijs, tot fœcundis laboribus iniuria tempo- cariturí fueramus, minus enim desiderantur ea, quorum vsus ad sensum non peruenit. Multę gentes literas non norunt, atque ob id ne desiderant quidem. At terra Itala, quę id diuinum munus nõ solum senserat, sed alijs etiam gentibus ingenti gloria nominis dederat, cui nihil ex tanto imperio quantum olim habuit, pręter literarum decus reliquum fortuna fecerat, qua maiore clade affici potuisset, aut in quem maiorem luctum incidere, aut magis perpetuum, quàm si hoc quoque cultu & vera laude fuisset demum spoliata. Debebit itaque illis omnis posteritas, laudabũt felicissimos labores, Memoriam ęternitati consecrabunt. Nam si clarissimę quędam ciuitates, ac populi, statuas, tumulos, trophęa, aliosq; æternos honores decreuere ijs, qui aut de libertate, aut de finibus fortiter dimicando, pro patria occubuerunt, quanto honestius ęquiusq; ijs debentur pręmia, qui amplissimum decus tot vrbibus, tot populis, tot gentibus restituere, Sed qui post nos erunt, videbunt quid illis pręstare velint, nos certe, qui hęc videmus, quia alterutram rei fortunam penè experti sumus, nisi ingrati esse volumus, summa ope niti oportet, ut de communibus studijs tam bene meritos, qui ex humanis decessere, pia memoria uiuos omni officio humanitatis prosecuti uideamur. Hęc Guarini filius, qui cum finem fecisset, cunctis eius sermonem probantibus, cœtus ille ornatissimus solutus est. HABETIS, reor, viri amicissimi, quę de Latinę linguæ instauratione tanto opere audire optabatis, quę omnia eò vobis certiora videri debent, quò maiore

sunt autoritate & iudicio prędití illi, à quibus hęc acce pimus, & à pluribus doctis tum quoq; laudata, verum illa ipsa qualia sint, quum per otium licebit, melius vos ipsi pensitabitis.

FINIS.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z A A B B.
Omnes quaterniones.

P. ALEX. PAG.
BENACENSES.
.F.
BENA.
.V. .V.

